JOH. HENRICI HOTTINGERI,
S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS Ord.
In
Universitate Heidelbergensi,

TYPUS VITÆ CHRISTIANÆ
DELINEANS
THEOLOGIAM
MORUM SPECIALEM
DE
OFFICIIS ERGA DEUM,
PROXIMUM ac SE IPSUM,
In
Usum Institutionis Domesticæ,

Tit. II. 11. 12.
Illuxit gratia DEI salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut sobriè, justè ac piè vivamus in hoc seculo.

****

SPIRÆ,
Typis GUSTAVI ROSTII.
ANNO M DCC XXV.

2



Lectori Christiano

Gratiam DEI in Christo JESU
apprecatur

JOH. HENRIC. HOTTINGERUS.





Uam primum observabam velle DEUM, qui פלא *mirabilis* est, quique suos per vias mirabiles ducit, ut ego, qui nihil perinde desideravi ac etiam quæsivi, quam benè latere & cum meis benè vivere, denuò publicam personam agerem meamque operam Sacrarum literarum cultoribus ducendis ac regendis darem, constitui quoque pensum circa mores formandos adstrictum, quod jam olim non sine animi lubentia &, ut spero, non absque omni fructu tractaveram, reassumere, idque, si DEO placuerit, perficere. Quare ubi olim substiteram, mox ac Exordium novi laboris Academici feceram, perrexi tradens juxta priorem, quæ mihi utilis videbatur, Methodum *officia erga Deum, proximum & seipsum*, thema & à communi ædifica-

tione, (quam ego non fastidio) & à Claritate maximè commendatum.

Quoniam verò arbitrabar mea hac de materia cogitata tam singulis lectoribus quam præprimis dilectissimis Auditoribus in viis sanctis faciliori ratione ducendis non inutilia fore (ne dicam, quod verè dicere possum, me precibus Amicorum, eorum speciatim, qui me sacra profitentem jam olim audiverant quique à cogitatis meis animum alienum non habent, faciles aures præbere debuisse) proposui non solùm ea publicare sed & nunc propositum, Deo vitam & vires benignè largiente, in effectum deduxi. Ex animo precor, ut quemadmodum mirâ Clementissimi Numinis providentiâ has castiores ac præ aliis pacificas literas publice rursum doceo, sic primitias has Heidelbergenses jubeat fœcundas esse ad Gloriam Sancti Nominis sui ac proximi ædificationem.

Probè quidem scio & experientiâ quotidianâ magis confirmor, quod jam ante duo secula vir Magni Nominis notaverat, morum inculcationem non sufficere nec eâ Lectores aut Auditores Sanctiores reddi. Attamen video Sapientissimo Deo à multo tempore constanter placuisse creaturas suas intelligentes præceptis ac morum regulis regere ac continere. Is verò mihi tutò docere aliosque ducere videtur, qui divina vestigia sequitur. Sapientia divina quippe nihil absque Summa ratione ac certo fructu agit.

Habet

Habet quoque plenior curatiorque morum tractatio suos praeclaros usus. Nam primò informat hominem, qualis intus & extus esse debeat. Hinc detegit plures ac varias sordes animi corporisque. Convincit dein attentiores de miseria ac paupertate in bonis veris, spiritualibus ac divinis. Extorquet quasi salutarem desperationem de propria justitia. Urget ita & tantum non cogit hominem, ut se ipsum abneget ac Liberatorem quaerat. Certum insuper eum reddit non esse ex hominibus quempiam, qui ipsum verè juvare, ex miseria sua liberare ac moraliter divitem reddere queat. Hac verò ratione attollit oculos in cœlum & exinde unicè liberationem divitiasque petit, sperat exspectatque.

Ecquid sodes, Christiane Lector, reperis, quod in ejusmodi labore carpas sive ad scripturam, sive ad conscientiam tuam attendas. Dic liberè, sed & dic judicatò, non impellentibus affectibus tuis. Da argumenta, quae ego perpendam. Vel annon praesens labos, quem hic tracto, his partibus constat? Annon partes hae inter se conjunctissimae sunt? Annon naturaliter eo ducunt, quo eum ducere indicavi? Annon certus ac λογικὸς modus hominem ad Christianismum praeparandi, trahendi atque etiam in eo perficiendi? Et annon Spiritus S. in sacris similem viam tenet atque nobis monstrat? Imò annon etiam, qui leges divinas publicè inculcant, praedictam viam, materiam praebente utroque Testamento, terunt. Et si res ita

ſe habet, uti dixi, quis jure talem morum tractationem cenſet ac perſtringit. Quis attentior non videt ejusmodi laborem ducendis Naſiræis perquam utilem eſſe, tum ad cupiditates juveniles, quæ ob ætatem aliasque cauſas fortiores eſſe ſolent, caſtigandum, tum quoque ad ſapientiam Cœleſtem hauriendum: *Timor Domini* enim *ſapientiæ principium eſt*, tum denique ad Auditores ſuo tempore in bonis moribus informandum. Qua de re plenius alibi in ſimili occaſione.

Noli dicere curatiorum morum Auditores vel Lectores inflari, ſibi placere, animum ab Evangelio alienum habere. Aut ſoli Evangelio vim vivificandi bonosque mores ingenerandi ineſſe; Hominem mores, quales eſſe debent, audiendo non ideo fieri bene moratum, DEUM reverentem, amantem eique confidentem. Nollem quidem ſimpliciter negare, vitio hominum fieri poſſe, ut morum ſcioli magis quam cultores in faſtum prolabantur. At profectò mores ſanctiores ad faſtum nullatenus ducunt. Naturaliter & ex interna eorum virtute Lectores & Auditores deprimunt faſtumque coërcent. Etenim clariſſimè monſtrant deeſſe, quæ requiruntur, virtutes, ineſſe verò vitia & ſordes, quæ abeſſe deberent. Hinc vitioſos, quales ſibi veri morum cultores apparent, DEO diſſimiles, deformes, communione ejus indignos, & damnandos ſiſtunt. An tales ſibi placent & quare? An ab Evangelio abalienantur? Annon potius ſibi diſplicent &

mores

mores suos abominantur? Annon turpitudinis & commeritæ condemnationis agnitio certissima ad Evangelium quærendum, amplectendum ac exosculandum via? Imo manus quasi apprehendens ac vel invitum trahens ad JESUM Christum sanguinemque ejus & remittentem ac purgantem peccata. Tum quoque bene notandum morum tractationem, quam do, non solùm præcipere agenda, vetare omittenda. Sed & ex Evangelio illum exerto digito monstrare, qui nobis dat & bonum velle & perficere. Commendare gratiam DEI salutiferam, quæ omnibus hominibus illuxit, castigantem nos, ut abnegemus impietatem ac concupiscentias malas, vivamus autem sobriè, justè ac piè in præsenti seculo. Inculcamus ergò mores & ostendimus simul gratiosam DEI in JESU Christo manum, quæ Spiritu suo nos renovat transformatque ad Imaginem divinam. Tradimus hac ratione medicatam misturam fidei morumque. Quanquam de his ex præsenti instituti ratione plenius agamus, ut gratia DEI in Christo JESU, inspectis sordibus suis agnitaque propria ἀδυναμία, ardenter quæratur recipiaturque aptos nos reddens *ad ambulandum ἀξίως τῦ κυρίῦ εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν dignè domino ad omne placitum* atque ita fructus feramus *in omni opere bono.* Coloss. I. 10. De hoc satis.

Progredior ad alterum, quod præfaturus tangere volui. Nimirum quia tot tamque varia morum præcepta existunt, quæru nt indagantque viri

 in

in hoc ſtudiorum genere occupati, quodnam eorum primum, præcipuum, ac reliquorum quaſi centrum, principium ac fons ſit. Arbitrantur enim officium alio officio prius & quodammodo genitorem alterius exiſtere. Jam verò ſi naturalis aliquis officiorum ordo ac nexus daretur notusque eſſet, ille optimam maximeque comōdamMethodum mores tradendi ſeque in iis exercendi perhiberet.

Reperis, qui principium actionum moralium fidem afferunt. Alii amorem DEI. Rurſum alii timorem Numinis. Denique alii abnegationem propriæ voluntatis ac ejus ſubjectionem voluntati divinæ ſive conformitatem voluntatis humanæ cum divina. Et hi omnes cogitatorum ſuorum fundamentum in ſacris quærunt. Scriptura enim fidem ceu principium vitæ ſpiritualis notat & ex illa actiones Chriſtianas deducit. vide 1. Timoth. I. 5. 2. Petr. I, 5. 6. 7. Rom. XIV. 23. Hebr. XI. 16. Gal. II. 20. Habac. II. 3. 4. Eadem amorem DEI *primum* & maximum præceptum commendat. Matth. XXII. 37. 38. atque ex eo alia officia derivat Joh. XIV. 23. Timor DEI ſemel ac iterum in ſacris paginis *ſapientiæ principium dicitur.* Prov. I. 7. IX. 10. Pſ. CXI. 10. Salvator primò abnegationem ſui ab aſſeclis poſcit. Matth. XVI. 24.

Putem ego varium hunc officiorum ortum ac nexum concipiendi modum liberum eſſe atque omni damno, ſaltem notabili, carere. Modò illi, qui has ſanctiores literas docent, vinculum omnium officiorum indiſſolutum teneant ac nullum

lum vel omittant vel ſiniſtré exponant. Habent officia, quæ debemus, catenæ ex pluribus annulis conſtanti eique ita connexæ, ut uter annulus primus, medius vel ultimus ſit, non perſpicias, ſimilitudinem. Vel ſi mavis, ad talem accedunt catenam, quæ ferro vi fortioris ignis liquefacto una fuſione fuſa eſt, cujus hinc annuli unà quoque fuſi ſunt, ut inter illos non detur primus, ſecundus, tertius &c. Unde ſi ejus modi catenam manu prehendis, jam ab hoc annulo exordium quaſi facere & reliquorum concatenationem aut numerum intueri vel numerare potes, jam ab alio, uti libet. Pari fermè ratione morum tradendorum Doctor jam primo loco metum tradit & cum eo alia officia connectit aut ex eo deducit; jam præmittit amorem, & ex eo alia derivat officia.

Si in cauſas diverſorum judiciorum inveſtigas, hæ probabiliter ſunt. Quidam officium primum habent, quod ſummum ac perfectiſſimum quodque alia in ſe complectitur. At alii primum dicunt, quod quaſi infimum & ex quo ſubſequente tempore alia majora, perfectiora oriuntur. Atque ita non ſine cauſa poſteriores timorem, ſed priores amorem primum ac reliquorum principium ducunt. Timor naturaliter præcedit. Sed amor ſequitur. Rurſum alii reſpectum habent ad virtutes, quæ etiam piis inter gentiles, Judæis vel Chriſtianis nondum plene converſis inſunt. Sed alii ad virtutes eorum, qui ὄντως Chriſtiani &

γνήσιοι discipuli JESU Christi sunt. Hinc in principio vitæ actionumque moralium nominando haud conveniunt. Vide exempla in Eunucho Actor. VIII. Cornelio Actor. X. Lydia Actor. XVI. Paulo Gal. II. 20. Tandem alii principium vitæ spiritualis indagantes causam ejus producentem, alii semen, alii prolem pro eo accipiunt.

Rem ab ovo exordiar experturus, an quæsitum hoc aliqua ratione illustrare valeam. Præsuppono hominem ex carne nasci carnalem, hinc illum & actu & potentialiter ad DEUM cognoscendum, glorificandum, timendum similiaque officia præstandum ineptum esse. DEUS misericors verò miseri & carnalis hominis, qui caro semper futurus, miseretur atque donat illi auxilium communius sive se illi tanquam Spiritum divinum, æternum, potentem, sapientem, sanctum, justum, bonum revelat. Unde etiam intelligit prima saltem & generalia officia. Hoc verò dono homo, qui illud accipit, idoneus non est ad virtutes verè Christianas modo quoque Christiano edendas. Attamen incumbit ei, veritatem hanc in injustitia non detinere, puram custodire, DEUM, ut se manifestavit, agnoscere, glorificare, timere, sobriè & justè vivere. Is, qui donum & auxilium hoc DEI non dilapidat nec defodit sed pro statu suo rectè impendit, majus & perfectius accipit. Etenim omniscius DEUS videt hominem hunc, quem juvit, veritatem in injustitia non detinuisse, in minimo, quod

ipsi

ipsi concredebatur, fidum extitisse. Videt quoque hoc, quod donavit, non sufficere ad virtutes verè Christianas, modo quoque Christiano, faciendum. Itaque pro bonitate sua majus, perfectius & specialius donum in illum confert prospicitque ut ingens gratia in filio suo JESU Christo annuntietur eaque interna divina operatione agnoscatur & recipiatur. Vide quæ huc spectant, Rom. I. 18 - 22. II. 14. 15. Matth. XIII. 12. XXV. 29. Luc. VII. 1 - 9. Joh. XII. 20. 21. Actor. VIII. 27. X. XVI. 14. 15.

Hæc nunc interna gratiosi Numinis operatio est verum & proprium principium vitæ spiritualis, quo homo, qui operationis illius particeps fit, idoneus redditur ad Christianas actiones agendum.

Quatenus principium hoc consideratur proveniens à DEO, homo passivè se habet sive dono accipit novam vitam. Quatenus verò nova hæc vita in' homine producta consideratur, ille vi vitæ donatæ ipse vivit & actiones vitales agit.

Nova hæc vita statim quidem ac in homine est vitalitatis spiritualis documenta edit sed non perfectissima. Nec mox plenos ac omni numero consummatos fructus profert. Phil. I. 9 - 12. Coloss. I. 10. 11. Crescit quippe tempore, fruitione victûs spiritualis ac exercitatione.

Hujus novæ vitæ *generalis* quasi *actus* & qui alios plures speciales in se complectitur, & ex se gignit, fides est. Gal. II. 20. Rom. XIV. 23. Qui enim

enim credit in DEUM & JESUM Christum, ille abnegat se ipsum, propriam voluntatem, subjicit se DEO ejusque voluntati. Ille quoque DEUM timet, reveretur, amat eique confidit. Ille etiam in necessitatibus protectionem & gratiam Numinis implorat. Ille denique in bonis, quibus fruitur, exultat. Hi actus in vera fide continentur & ex ea gignuntur.

Primus quasi *specialis* vitæ spiritualis *actus* rectè habetur abnegatio sui ipsius propriæque voluntatis. Unde Christus abnegationem statim post fidem narrat. Matth. XVI. 24. Quamprimum enim homo verè credit JESUM Christum esse promissum Messiam, Prophetam sacerdotem ac Regem, ille se ipsum, cogitata, voluntatem, sapientiam, justitiam, dominium suum abnegat. Cum hoc conjunctissimus est *subjectio sui & voluntatis suæ sub voluntate & imperio DEI & Domini JESU Christi.* Quia enim credit in eum tanquam Dominum, Prophetam, Sacerdotem & Regem suum, exspectat, admittit, probat, facit præcepta, consilia, quæ dantur. Conjunctus quoque est *metus ac reverentia.* Credit enim fidelis in DEUM & JESUM Christum tanquam Numen omnipotens, omniscium, omnipræsens, sanctum ac justum quod tantæ sanctitatis & justitiæ, ut peccata nostra in sponsore, DEO simul & homine sanctissimo, gravissimè puniverit. Novit quoque fidelis se innumeris vicibus, animo quoque aliter convicto voluntati DEI sapientissimæ,

mæ, ſanctiſſimæ, juſtiſſimæ, æquiſſimæ, optimæ obſtrepuiſſe.

Ubi fides in DEUM & JEſum Chriſtum, ibi quoque amor. Qui enim verè credit verbo gratiæ, ille non poteſt non DEUM Gratioſiſſimum amare. Qui jam ingentis divini doni, quod eſt ſpiritualis vita, particeps factus, quomodo ſine amore donantis eſſe valet? *Ibi præterea fiducia ac ſpes.* Qui credit DEUM filio ſuo non peperciſſe, ut ſalvaretur, ille confidit, quod divinus ſalvator ipſum non ſolùm non relicturus ſit ſed cum filio ei omnia donaturus. *Ibi inſuper precatio*, ſive ex corde profecta gratiarum actio pro maximis bonis acquiſitis, oblatis, applicatis, etiam petitio ut defendatur, protegatur, bonis Spiritualibus, Cœleſtibus magis ac magis in Chriſto JESU coronetur. *Ibi denique gaudium ac jubilus in DEO* ob actualem eamque lætiſſimam fruitionem donorum Spiritus S.

Ne dicam de aliis iisque magis ſpecialibus novæ vitæ actibus, quorum plurimi hoc in libello notati ac deducti ſunt. Impoſſibile videtur (nec etiam neceſſarium eſt) omnes illos tali ordine infra ſe collocare, uti ſe invicem excipiunt. Et quis aſſeret, imò quis argumentis idoneis demonſtrabit actus ſpeciales vitæ ſpiritualis, quales jam jam notavimus, in omnibus regenitis, etiam in principio vitæ, certo ordine ſequi ut v. gr. primus abnegatio ſui, alter conformitas cum voluntate divina, tertius metus, quartus amor, quintus

ſpes

ſpes &c. ſit, nec ordo hic variet. Putem ego potius tum ab initio regenerationis tum maximè in continuatione vitæ actus ejus ſpeciales pro variis ſubjectis, eorumque conditionibus, vita antecedente, generibus vivendi, functionibus, gradu fidei, tentationibus, manuductionibus, tot aliis circumſtantiis admodum variare. Eſſentiales actus omnibus ſpiritu vivificatis inſunt. At quidam in aliis magis latent, in aliis conſpicui ſunt. In his prædominatur amor, ſpes, gaudium. In aliis, ut videtur, triſtitia & metus. In uno eodemque ſubjecto ſed aliter ac aliter ſe habente actuum vitalium diverſitas obſervanda eſt, uti ex Pſalmis Davidis colligere licet.

Superſedeo plura præfari. Dum verò in manus tuas, Benevole Lector, hanc *de officiis erga DEUM, proximum & ſe ipſum* Theologiæ moralis partem trado, unam partem ſcopi laboris, quem præfixi, etiam inter fluctus aſſecutus ſum. Promiſi quidem ab initio me quoque vitam & mores ſtudioſorum Theologiæ ac Paſtorum tum pravos tum probos pari ratione delineaturum. Etiamnum fidem datam liberare, DEO benigno annuente, mente mea & ſto, & actu laboro. Quando verò ex certis, iisque legitimis, rationibus partem adhuc publicandam in remotius tempus differo ſeparoque à publicatis, tu non ægrè feres. Utere interea mecum tribus his partibus in lucem editis communia officia continentibus & ubi animadvertis illas nomen τύπῳ ζωῆς

typi.

typi vitæ Christianæ non mentiri, trade te illis atque mores tuos ad eas forma. Certum quidem est imaginem terræ, quam nunc ferimus, in cœli non mutari, nisi plures eosque acutos dolores subeamus, id quod Auctores linguæ Hebrææ haud male observasse videntur quando formæ & doloris rationem iisdem vocibus incluserunt. At felix transformatio, quæ DEI imaginem in nobis restituit, quæque dolores temporarios potentiâ DEI superandos abundè compensat. Quod si trinus hic typus, DEO pro incredibili suo homines juvandi studio ex alto benedicente & in infirmitate mea potentiam suam demonstrante, occasio, incitamentum, instrumentum ac calcar ad tuos, Christiane Lector, meosque mores juxta voluntatem DEI formandos exister, impensè gaudebo me alteram eamque longe nobiliorem scopi partem obtinuisse. יוצר הכל Magnus ac sapiens ille *formator totius* universi, cordium maximè, fundat formetque nos totos, ut imaginem ejus verè referamus.

Amen.

Dabam Heidelbergæ, *die*
27. Martii 1725.



INDEX




INDEX

Capitum Theologiæ Morum specialis

De

Officiis erga DEUM, Proximum ac se ipsum.

THEO-



THEOLOGIÆ MORUM SPECIALIS

De

Officiis erga DEUM, Proximum & se ipsum

CAPUT I.

De

Legibus ceu Officiorum Fundamentis ac Regulis.

Σύνοψις.

Fundamentum Officiorum Leges §. I.
Harum Definitio §. II.
Nomina §. III.
Legislator §. IV.
Qui Deus §. V.
Isque solus §. VI
Homines, qui Leges dant, eas dant nomine DEI. §. VII.
Quare leges humanæ voluntati divinæ conformes requiruntur. §. VIII. IX.
Qualibus, licet ab hominibus latis, alii obedientiam debent §. X.
Leges divinas dari §. XI.
Easque hominibus revelari probatur. §. XII.
Unde homo ad voluntatem divinam cognoscendũ factus §. XIII.



§. I.

ACturi sumus de Officiis erga DEUM, proximum ac seipsum. Officia præsupponunt leges, quarum tenore hoc vel illud officium præstare debemus.

II. *Lex in genere est voluntas superioris, quæ jure inferiorem ad hoc illudve faciendum obligat.*

III. *Quandoquidem lex varias relationes admittit, variè etiam in sacris appellatur.* Quia monstrat agenda & scopum, hinc תורה *Commonstratio.* Quia dein definit, nec actiones liberas relinquit, חק *Definitio.* Quia portò cum auctoritate præcipit, מצוה, ἐντολὴ, ἔνταλμα, πρόσταγμα *præceptum.* Quia insuper justa præscribit, quique secundum

eam vivit, justus habetur, defenditurque מִשְׁפָּט, *δικαίωμα*, *νόμος* *jus*. Quia denique superior inferiori voluntatem significat, דבר, *λόγος*, *ῥῆμα* *verbum* audit.

IV. *Legem ergo fert superior, non par, non inferior.* Non inferior, quia, si talis legem ferret, non esset inferior, sed superior. Omnia susque deque verterentur. Non par: Nam par in parem nullum jus habet. Si jus haberet, non esset par, sed superior.

V. *Superior est DEUS:* Qui hinc עליון *ὕψιστος* *altissimus* dicitur Ps. LXXXIII. 19. Act. VII. 48. Creaturæ infra illum sunt: dependent ab illo in fieri, in porrò esse, in benè esse. Maximum itaque illi jus est in creaturas, quibus itaque voluntatem suam præscribit.

VI. *Non solùm DEO maximum jus est leges creaturis ferendi, sed & unicum. Unus est νομοθέτης legislator* Jac. IV. 12. Non alius aliquis illis jure leges præscribit. Vel quid diceret Princeps, si alius aliquis ipso invito subditis suis præciperet? Creaturæ sunt Creatoris, Conservatoris, non verò alius creaturæ. Creatura in creaturam nullum per se jus habet. Nam ortum, conservationem & felicitatem non creaturæ sed creatori debet. Nec etiam, licet vellet,

potest

poteſt jus in ſe alii creaturæ dare. Uti ſubditus Principis nequit Dominium in ſe alii Domino donare.

VII. *Si itaque creatura creaturæ ſive homo homini legem præſcribit, præſcribit eam non propriâ Authoritate, ſed ſupremi Numinis.* Evexit autem Altiſſimus quosdam ex hominibus naturâ cæteroquin reliquis in nativitate, conſervatione & morte ſimillimis ad ὑπεροχὴν *eminentiam* ſuper alios 1. Tim. II. 2. Rom. XIII. 1.

VIII. *Hi in altum liberæ Altiſſimi voluntate evecti nequeunt leges præſcribere pro lubitu.* Sunt enim nonniſi *Diaconi*, Miniſtri *DEI*, Rom. XIII. 4. Qui à Domino dependent, quique actionum ſuarum graviſſimam rationem reddere tenentur.

IX. *Quas igitur leges præſcribunt, conformes requiruntur Voluntati Summi Numinis, ei non adverſantes.* Et hæ leges ſpectare debent illas humanas actiones, quæ ipſorum dependenti à Deo jurisdictioni commiſſæ, quales civiles ſunt. Rom. XIII. 1. 6. 7. Matth. XXII. 21.

X. *His cæteræ creaturæ, quanquam ejusdem originis & naturæ cum Domino, obedientiam debent.* Nam ordo hic à Summo conſtitutus eſt. Neque ſolùm ſubjectæ eſſe tenen-

tur metu gravis damni, sed ex conscientiâ Rom. XIII. 5. 1. Petr. II. 13. Etiam tum, si mandata rigidiora præscribuntur 1. Petr. II. 18. 19.

XI. *Sed de humanis legibus alia hic non dicturi sumus: Verùm de divinis. Tales dari, ex sequentibus rationibus constat.* I. Præsupponimus esse DEUM, eumque à creaturis cognosci. Jam cognitio Dei involvit leges. Qui enim DEUM cognoscit, simul cognoscit illum pro Deo habendum, timendum, honorandum, amandum esse. II. Præsupponimus dari actiones bonas & malas. At bonitas & malitia rursum involvit leges, quæ has actiones bonas, illas malas declarant. III. Præsupponimus dari judicia, temporalia & æternum. Nemo absolvitur aut condemnatur, ubi nullæ leges sunt. IV. DEUS Rector mundi, speciatim hominum. Rector verò nemo absque legibus est. Præsupponimus autem hæc, quia contrarium non solùm impium, sed & summè stolidum est.

XII. *Si verò dantur leges divinæ, necesse est, eas hominibus revelatas esse, & etiamnum revelari.* Leges enim non revelatæ, & ità non cognitæ, non obligant.

XIII. *DEUS hunc in finem homini mentem dedit,*

dedit, eamque instruxit facultatibus percipiendi, judicandi, ratiocinandi. Talis verò mens capax ad voluntatem sive leges Dei cognoscendum. Non tamen recens indita statim facultates has exerit, ut earum usus notari queat, successu temporis demum incipit percipere, judicare, ratiocinari, atque ita indies magis crescit perficiturque.

XIV. *DEUS ceu Spiritus*, qui non procul ab unoquoque nostrûm, in quo sumus, vivimus & movemur, *hominibus*, quos subjectos sibi vult, *intus voluntatem suam manifestat.*

XV. *Eandem expressit in operibus suis atque aliquando satis notabiliter in Regimine mundi, docens quid rectum, quid non rectum sit.* Modò mentem, quam habemus, ad opera & vias divinas rectè referamus, judicemus, ratiocinemur.

XVI. *Traditio ac institutio sapientum ad leges Numinis facilius & clarius cognoscendum non parùm facit.* Periculosa tamen est, nisi probè cum legibus internis collatio fiat.

XVII. *Hac communis & ordinaria via leges hominibus significandi est.* Ita DEUS à mundo condito genus humanum instituit, & etiamnum instituit. Quod evidentissimè cernere licet ex exemplo gentium. Aut

dicendum illas ſine legibus Numinis vivere, atque ita non peccare, non etiam puniri poſſe, aut DEUM modo dicto illas de voluntate ſua informare.

XVIII. *Quod poſterius probant ſupra* §. *XI. dicta. Probant quoque plura loca ſcripturæ.* Paulus docet omnes homines, etiam gentiles, ſub reatu eſſe Rom. III. 9. iram DEI provocaſſe Cap. I. 18. fœdè peccaſſe Cap. I. 21-32. Hæc vero præſupponunt & leges & legum notitiam. Idem Apoſtolus docet, qua ratione Gentes DEUM & voluntatem ejus cognoverint. *Ipſe enim DEUS manifeſtavit illis* τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ. Cap. I. 19. Ipſe DEUS τὸ ἔργον τῦ νόμυ *opus legis*, quod lex vult, *in corda* inſcripſit. Cap. II. 15. Dedit quoque νῦν *mentem* per opera viſibilia inviſibilem DEUM ejusque perfectiones inveſtigare valentem ℣. 20. Gentiles cognoſcere poterant non ſolùm leges, ſed & pœnam eamque graviſſimam in violantes animadvertendam Rom. I. 32. Quæ cuncta eum in finem Gentibus manifeſtata, ut ſint inexcuſabiles. Cap. I. 20. Excuſabiles utique, ſi voluntatem DEI nulla ratione noſſe quiviſſent. Probant porrò plurima ſapientum ex gentilibus, eorum ſpeciatim, qui de moribus ſcripſerunt, ſcripta. Cito non-

nonnisi Senecæ verba Ep. XLI. *Non sunt ad cælum elevandæ manus, nec exorandus ædituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Propè est à te DEUS.* (conf. Act. XVII. 27. 28.) *tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, Sacer intra nos Spiritus sedet malorum bonorumque nostrorum Observator & Custos. Ille dat consilia magnifica & erecta.* Ac Sextii Pythagoræi in suis sententiis: *Priusquam agas, quodcunque agis, cogita DEUM, ut lux ejus præcedat actus tuos.*

XIX. *Lumen hoc naturale Divinum, si homo tenebras præ luce diligit, imminuitur, peritque:* Si adeoque erroribus credit, mala facit, quæ lux damnat Rom. I. 21. 22. 23. 24. At conservatur, augetur, purificatur, si veritates, quas detegit, creduntur, bona, quæ jubentur, aguntur. Pulchrè idem Sextius Pythagoræus: *Templum sanctum est DEO mens pii & altare est optimum ei cor mundum & sine peccato.* Et *DEUM non cognovit, qui non colit.*

XX. *Præter communem hanc & ordinariam voluntatis suæ revelationem DEUS etiam homines extraordinariò* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *prout ipsi videtur, instituit.*

XXI. *Revelat autem extraordinariò, tum quia veritates quædam supernaturales sunt, tum quoque, quoniam naturales non sine meditatione,*

tatione, longiori tempore, ac difficultate cognosci ac retineri queunt. Cognoscuntur autem & retinentur facile instrumentis mansuris commissæ: *tum maxime, quia post peccatum homo carnalis factus est.* Habet autem caro motus, cupiditates voluntati divinæ contrarias. Habet quoque mundus axiomata & consuetudines pravas comparatas ad lumen illud divinum in homine offuscandum, extinguendum. Igitur φιλανθρωπία DEI multis temporibus voluntatem suam præter communem ordinem significavit, confirmavit, deduxit, ut caligo luci prætensa dissiparetur resplenderetque lux divina.

XXII. *Ejusmodi extraordinariæ revelationes divinæ plurimæ factæ sunt. Quædam volente DEO ad posteritatem non sunt propagatæ: Aliæ vero propagatæ.*

XXIII. *Hæ jussu & providentia divina literis committebantur, ut essent tuta ac constans norma credendorum & agendorum.* 2. Tim. III. 15 - fin.

XXIV. *Hinc ingens constituunt beneficium divinum* gratissima mente extollendum, quale non dedit omnibus gentibus Psalm. CXLVII. 19. 20. sed nonnisi peculio suo, olim Israëlitico, nunc Christiano Rom. III. 2. 1. Petr. I. 19.

XXV. *Re-*

XXV. *Revelationes sive leges hæ extraordinariò datæ naturalibus non adversantur.* Quando enim eundem Auctorem habent Deum veracem, oportet conveniant. DEUS enim veritas est. DEUS in lege naturali non præcipit, quod in scriptura vetat. Unde certum, illam legem non esse naturalem, quæ legi scripturariæ adversatur. Nec lex scripturaria est, sed falsa ejus explicatio, quæ legi verè naturali adversatur.

XXVI. *Potius leges naturales & scripturariæ conveniunt, suntque mutuo auxilio. Conveniunt.* Nam quod agendum & intermittendum præcipit Natura, præcipit quoque scriptura Rom. I. 19. 20. II. 14. 15. *Sunt mutuo auxilio.* Scriptura seu lex divina probatur, quia convenit cum naturali in cor inscripta. Hæc, quod talis sit, non vero dictamen carnis, ex scriptura rursum cognoscitur.

XXVII. *Habet tamen revelatio scripturaria præ naturali veritates & ita leges supernaturales:* Leges quoque naturales in scriptura facilè, copiosè & purè argumentis etiam demonstratæ ac exemplis illustratæ reperiuntur. Non item sic inveniuntur in mente. Quia DEUS voluntatem suam tum in corde humano tum in scriptura reve-

revelat, rectè homo ad utramque legem attendit.

XXVIII. *Rectè etiam seorsim tum leges naturales, tum scripturariæ investigantur, ordinantur, inculcantur*, ut aliquatenus utriusque revelationis natura, limites, scripturariæ præ naturali præstantia cognoscatur.

XXIX. *Malè verò & imprudenter illi agunt, qui contenti Legibus Naturalibus, Ethnicis scripturarias negligunt, contemnunt.* Hi mihi similes videntur iis, qui valvis obductis diu noctuque ad lucem lucernæ laborant, solis splendorem non admittunt.

XXX. *Leges literis sacris contentæ nonnisi Spiritu DEI ceu divinæ purè, plenè & salutariter cognoscuntur.* Vel unde est, quod scriptura à centum pariter lecta ac audita, nonnisi à decem ex iis πληροφορία πίστεως divina credatur? unde est, quod sæpius ii, qui clamitant pro Mose, Mosen tamen adulterent ac alium ei sensum affingant. Matth. V. Joh. V. Unde hodie Christiani non solùm diversos sensus & aliquando oppositos eidem Scripturæ & iisdem Scripturæ locis tribuunt? unde ex iis, qui videntur leges scripturarias pariter exponere, pauciores morem gerunt? Neque à Scriptura, neque à lectione, neque ab auscultatione

ejus,

ejus, neque ab explicatione usuque regularum criticarum ratio propriè petenda est, sed à Spiritu Domini. Hic est Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere Joh. XIV. 17. qui tamen hominem ducit in veritatem Ps. CXLIII. 10. Joh. XVI. 13. Est Spiritus sapientiæ & revelationis in cognitione DEI. Ephes. I. 17. 1. Cor. II. 1. Joh. V. 6. Actor. XVI. 14.

XXXI. *Leges itaque divinas cogniturus & observaturus Spiritum hunc possidere contendat orando* Luc. XI. 13. Jac. I. 5. *meditando, legendo.* Quò majorem Spiritus Divini mensuram quis habet, tantò rectius leges divinas intelliget, deducet, prudenter referet huc, illuc, amabit, præstabit.

XXXII. *Ideo rectè quidem commendatur Scriptura ejusque prudens usus ad voluntatem divinam cognoscendum, sed non minus commendandus Spiritus Sanctus.* Hic clavis scripturæ est. Sine illo scriptura quidem ob utilitatem ac metum verbum DEI dicetur, defendetur, sed non in animo habebitur. Spiritus Sanctus demùm verum & plenum sensum verborum suorum Lectores docet, quando alii absque eo in cortice hærent. Spiritus S. affectus, qui impediunt, quò minus verum cernere queamus, qui quo-

que

que in causa, quod verba Scripturæ juxta hypothesin uniuscujusque invertantur, cohibet. Spiritus S. dicta Scripturæ generalia aut conditionata eò referet, quò referenda sunt, absque quo omnia confunduntur. Scriptura absque spiritu chartis nonnisi imprimitur, sed per Spiritum cordi inscribitur 2. Cor. III. 2. 3. Sine hoc nullus salutaris usus lectionis, auscultationis, explicationis etiam eruditæ verbi divini est, quod tristis experientia abundè docet. Sine Scriptura per bis mille annos leges divinæ cognoscebantur. Sine Spiritu nunquam, nequidem nunc, quando ingenti gratia Numinis divina voluntas chartis mansuris ad ædificationem Ecclesiæ commissa est.

XXXIII. *Leges divinæ sive naturales sive scripturariæ sunt aliæ absolutæ, aliæ hypotheticæ.* Illæ, quæ omnem hominem simpliciter obligant, uti DEUM amare &c. Hæ, quæ obligant in certo statu, veluti servum, subditum.

XXXIV. *Leges Scripturariæ sunt vel naturales, ceu quæ etiam naturâ notæ sunt, vel nonnisi extraordinaria revelatione cognoscendæ.*

XXXV. *Et spectant vel cultum internum erga DEUM, vel externum vel politiam.* Illæ

mora-

morales: Iſtæ ceremoniales: Hæ vero forenſes ſunt.

XXXVI. *Quædam æternæ: Quædam temporalis obſervationis.*

XXXVII. *Quædam explicitæ: Quædam implicitæ ſunt*, ſive in virtute verborum & nexûs continentur 1. Cor. IX. 9. 10. Pſ. CXIX. 69. Cavendum tamen, ne leges conſectariæ formentur, quæ tales non ſunt.

XXXVIII. *Attributa harum legum plura ſunt.* Pſ. XIX. 8-12. I. Notanda *Juſtitia* ac *ſanctitas* earum. Præſcribunt, quod juſtum eſt, quodque cum ſancta DEI natura convenit, ac obſervantes juſtos ſanctosque reddit. Rom. VII. 12. 1. Joh. III. 7. Joh. XVII. 17. II. *Perfectio.* Leges in ſe perfectæ ſunt, ac quoque obſervantem perficiunt, ut omnes ejus facultates juxta leges formatæ perfectæ fiant. Pſ. XIX. 8. 2. Tim. III. 16. 17. III. *Claritas.* Quoniam enim DEUS leges fert, ut præſtentur, feret procul dubio, ut earum ſenſus attendenti perſpicuus ſit. Unde, quanquam in ſcriptura plura δυσνόητα & ſublimia ſunt, quæ notitiam ſpectent, clara tamen & perſpicua ſunt, quæ à nobis agenda. Quod conſtat ex inductione præceptorum divinorum. IV. *Utilitas.* Omnes enim divinæ leges ita com-

paratæ ſunt, ut obſervantibus utiles quoad animum, corpus, famam, familiam, Politiam, Eccleſiam in hac alterave vita exiſtant. V. *Poſſibilitas Obſervationis.* Nemo prudens Magiſtratus abſolutè impoſſibilia ſubditis præſcribit, multo minus Deus. Quod impoſſibile propriis viribus & *in ſenſu legis*, id poſſibile viribus divinis, quæ precibus propter Chriſtum donantur, & *in ſenſu Evangelii.* 1. Joh. V. 3. 4. Phil. IV. 13. VI. *Æquitas.* DEUS vitam & omnia dat. Quid æquius, quam ut hic jubeat, quomodo vita noſtra ducenda? ſervit ſervus legibus Domini, à quo nonniſi alimentum ac veſtimenta accipit: Quantó æquius ſervimus DEO, à quo omnia habemus. VII. *Indiſſolubilis nexus omnium Legum.* Præcepta inter ſe conjunctiſſima ſunt, & unam quaſi legem conſtituunt. Unde *qui unum præceptum violat, reus omnium.* Jac. II. 10. Qui proximum non amat, is neque DEUM amat 1. Joh. IV. 20. Qui DEO non obedit, nec eum amat, nec eum reveretur &c. VIII. *Indiſpenſabilitas.* Quædam leges abſolutè indiſpenſabiles ſunt, uti quæ non poterant non ferri, quales amor DEI, obedientia &c. Aliæ ſecundum quid, uti ceremoniales. Ab harum obſervatione nullus

homi-

hominum nos eximere poteſt: Poteſt verò DEUS. Non homo, quia nequit de eo diſpenſare, quod DEUS ordinavit.

XXXIX. *Juvat noſſe memorata legum attributa, tum quia communia ad illas obſervandum argumenta continent, tum quia variis carnis præjudiciis obicem ponunt.*

XL. *Leges Naturales omnes homines obligant.* DEUS enim τὸ γνωστὸν, quod de ſe citra extraordinariam revelationem cognoſcendum, non ſolùm Judæis & Chriſtianis, ſed etiam Gentibus manifeſtavit. Quæ ratio hunc obligat, eadem alium.

XLI. *Leges Scripturariæ, quæ ſpeciali manifeſtatione indigebant, obligant omnes illos, quibus propoſitæ ſunt*, quique unâ eandem ſocietatem ſacram conſtituunt, ſine diſcrimine ſtatûs, conditionis, ſexûs, ætatis, ſaltem ejus, quæ jam capax ad voluntatem DEI percipiendum. Rationes ſunt. I. Neminem excipit DEUS, hinc nemo ſeipſum excipere aut ab alio excipi poteſt Exod. XX. II. Omnes ſublato diſcrimine pares ſunt in Chriſto Gal. III. 28. III. Eædem erga omnes leges, eadem omnium obligatio in Baptiſmo & S. Cœna IV. Una tan-

tùm arcta via, quæ senes & juvenes, qui præsunt Cœtibus, quique subjecti sunt, divites & pauperes, eruditos & rudes &c. in cœlum intromittit Matth. VII. 14.

XLII. *Tantum abest, ut personæ politicæ, quæ Christianum nomen profitentur, ab accuratis Christianismi legibus liberæ vel ex parte sint, quin potius præ multis aliis ad accuratam vitam teneantur.* Non solùm enim omnes illæ rationes, quæ Christianos ad præcepta Christi adstringunt, etiam personas politicas obligant, sed etiam aliæ. Majorem dignitatem, majores divitias, majorem existimationem præ aliis consecutæ sunt. Personæ in eminentia constitutæ plus valent ad malos mores exterminandum, bonos vero plantandum. Eædem etiam plus valent ad Regnum Christi destruendum, Satanæ promovendum, nam qualis Rex, talis Grex. Cuncta hæc Magistratus fortius adstringunt ad Christianè vivendum. Hinc prudentissime olim in Politia Israëlitica statutum, ut ipse Rex legem describeret, legem secum ferret, jugiter in ea legeret, timeret Jehovam, *omnia* verba legis observaret, super subditos animum non efferret, nec recederet à voluntate DEI dex-

dextrorsum aut sinistrorsum. Deut. XVII. 17-f. Nam ut in genere Christiani Israëlitas sanctitate superare debent, sic speciatim Reges & Magistratus Christiani Magistratus Judaicos.

XLIII. *Uti Legum observatio omnibus incumbit, sic judicium de iis earumque sensu omnium est.* Non datur Judex humanus, qui summa auctoritate decidat, quænam leges divinæ, quis earum sensus, quæ limitationes & applicationes ex voluntate Numinis justæ sint. *Talis non datur ratione legum naturalium.* Vel quis ille? Talis neque constitutus neque declaratus, neque etiam possibilis est. Talis judex nonnisi Spiritus æternus, qui corda scrutatur, alloquitur, accusat, defendit, qui ipse leges dedit. *Nec talis datur ratione legum Scripturariarum.* Nullus in Scriptura nominatus est. Summi, qui erant harum legum Ministri, talem judicatum sibi non attribuerunt 2. Cor. I. 24. 1. Petr. V. 2. 3. Rom. XIV. An talis post horum excessum constitutus est? Non. Nullus ergò eligendus aut habendus est. Nemo hominum efficere potest, ut alius pro lege divina aut ejus sensu habeat, de quo non convictus. Talis Judex alios assentientes habere nequit, quam hypocritas ac rudem plebeculam

tanto judice dignos asseclas. Talis Judex ipse fallibilis, fallitque sæpius. Nec componit lites, sed auget, ac turbat, vexatque proximum suum. Jussit DEUS leges suas annuntiari, scribi, ut auditores ac lectores ipsi in sensum indagarent, à DEO informarentur, judicarentur, lege interna donarentur, quo DEO gloria tribueretur, atque ita homo DEO crederet, non fallaci proximo. Rom. XIV. Hebr. IV. 12. Jer. XXXI. 31-35.

XLIV. *Sed quid tum, si quis ambigit de lege vel ejus sensu?* ℞. Ejus est Legislatorem in precibus adire, atque coram illo sincerè testari, se cupere notitiam voluntatis suæ, ut ei morem gerat. Ejus porro est scripturam attentè legere. Ejus insuper se non conformare seculo huic, ut voluntatem DEI explorare queat. Ejus præterea consulere Pastores vel Auditores Christianos in legibus divinis incedentes, responsa eorum cum verbo DEI & cum conscientia conferre. Nihil agat, quod conscientiæ repugnet. *Quod non ex fide, illud peccatum est.* Rom. XIV. 23.

XLV. *Legislatoris in legibus ferendis primarius scopus est, ut subditi iis obedientiam exhi-*

exhibeant. Quare Magistratus Civilis hoc illudve præcipit? Procul dubio, ut cives obediant. Non minus DEUS. Hinc toties Moses Deut. V. 32. *Observabitis ad faciendum, quemadmodum vobis præcepit Jehova DEUS vester: non declinabitis dextrorsum aut sinistrorsum.* conf. IV. 1. 5. 13. Hic ipse scopus Præceptorum N. Testamenti. Matth. VII. 23 - 28. Neutiquam sufficit lectio, auscultatio, inculcatio, expositio, aut fides mortua. Requiritur obedientia. Is solus intrabit in Regnum Cœlorum, ὁ ποιῶν, *qui facit voluntatem Patris in Cœlis,* Matth. VII. 21. ποιητὴς ἔργου *factor operis beatus erit in opere suo* Jac. I. 25. *Estote factores sermonis, non tantum auditores* ℣. 22. Christus quidem pro nobis mortuus est, & sine morte Christi nulla est remissio peccatorum, nulla quoque vis præcepta servandi Joh. XV. 5. Sed ille nemini causa salutis, quam *obedientibus.* Hebr. V. 9. Id quod etiam perfectiones divinas decet ac hominem incitat ad voluntati Legislatoris obsequendum.



CAPUT II.

DE
Obedientiâ Legibus divinis præstandâ.

Σύνοψις.

Nexus hujus Capitis cum antecedente. §. *I.*	*Tales circumstantia narrantur.* §. *XI.*
Obedientia præmittitur Tractatio Inobedientiæ, quia hæc nunc naturâ præit. §. *II.*	*Monela subjungitur.* §. *XII.*
Inobedientia quid §. *III.*	*Difficultas solvitur.* §. *XIII.*
Ejus varia species. §. *IV.*	VI. *Qui Obedientiam tantùm præ se ferunt.* §. *XIV.*
I. *Eorum, qui voluntatem DEI non norunt.* §. *V. VI.*	VII. *Qui inconstanter obediunt.* §. *XV.*
II. *Qui sibi notam transgrediuntur.* §. *VII.*	VIII. *Qui duobus Dominis serviunt.* §. *XVI.*
III. *Qui agenda omittunt, omittenda committunt.* §. *VIII.*	IX. *Qui Eclectici sunt.* §. *XVII.*
IV. *Qui Corde tantùm, aut simul Corpore peccant.* §. *IX.*	X. *Qui superioribus à DEO constitutis non obsequuntur* §. *XVIII.*
V. *Qui deficiunt in circumstantiis.* §. *X.*	XI. *Qui Officia erga DEUM, Proximum, & seipsum negligunt.* §. *XIX. XX.*

Inobe-



§.

D*EI est Leges ferre. Hominis verò se Legibus subjicere.* Superiori Capite de

Legibus divinis: Hoc de Obedientia nostra.

II. Obedientiam commendaturi incipimus ab Inobedientia, quæ nobis filiis Adæ inest, antequam Obedientia: à quâ itaque liberandi, si DEO obedire volumus.

III. *Inobedientia est Hominis vitium, quo non paret Legibus DEI, sed facit, quod ipse vult.*

IV. *Inobedientia valdè variat in modo.*

V. *Inobediens est, qui voluntatem DEI, quam nosse posset, & deberet, ignorat, & hinc non explet.* Quanquam Inobedientia hæc necessaria, est tamen culpabilis.

VI. Voluntas DEI autem, quæ ignoratur, vel ex naturali vel supernaturali lumine constare potest. Illa omnibus hominibus, Rom. II. 14. 15. hæc Christianis & Judæis manifestata est.

VII. *Inobediens dein is, qui voluntatem Numinis quam novit, majori aut minori luce concessâ, transgreditur.*

VIII. *Inobediens porrò, qui agenda omittit, aut omittenda committit.* Hic magis sceleratus, si Circumstantiæ pariter se habent.

IX. *Inobediens præterea vel corde* cogitatis, affectibus intus latentibus *tantùm, vel simul membris externis existit.*

X. *Inobediens insuper, cujus actio in se considerata*

ſiderata legi adverſatur, aut ſi actio quidem cum lege convenit, ſed circumſtantia aliqua aut plures ei adverſantur.

XI. *Tales circumſtantiæ ſunt variæ cauſæ impellentes ad agendum extra DEUM & ſtudium ei placendi.* Uti temperamentum, genus vitæ, neceſſitas 2. Cor. IX. 7. ambitio Matth. VI. 1 - 5. commodum 1. Petr. V. 2. metus, ineptitudo ad contrarium agendum, Auctoritas Magiſtratûs Rom. XIII. 5. Parentum aliorumque Eph. VI. 5. quos venerari ſolemus. Tales enim non DEO, ſed ſibi & hominibus ſerviunt, obediunt & obedire coguntur. Unde DEUM non habent compenſatorem, ſed illos, quibus obediunt. ô quantus igitur numerus inobedientium, qui ſibi & aliis obedientiſſimi videntur!

XII. *Quanquam, ſi curatius rem conſideramus, nequidem actio cum lege convenit.* Opus quidem, uti in ſenſus noſtros cadit, ſimile operi ex bono principio profecto. Sed lex non ſolùm jubet, ut hoc agatur, ſed etiam propter DEUM.

XIII. *Quæris, an ergo is obedire dici non poſſit, qui obedit jubentibus Parentibus, Paſtoribus?* ℞. *Poteſt, & non poteſt. Non poteſt:* Si fundamentum obedientiæ unicum aut

primarium est jussus Parentum, Pastorum. Talis enim non DEO obedit, sed Parentibus, Pastoribus. *Potest*: Si fundamentum obedientiæ est voluntas divina per Parentes indicata. Talis non tam obedit Parentibus, quam DEO, cui obediendum esse Parentes monuerunt.

XIV. *Inobediens porrò, qui præ se fert singularem DEO obediendi conatum, eumque urget, sed tantùm præ se fert.* Ex hac classe Scribæ & Pharisæi frequentes numero sunt, Matth. XXI. 30. VII. 22.

XV. *Qui jam obedit, jam non, ex inobedientibus est.* Quam enim obedientiam DEUS poscit, illa constans esse debet.

XVI. *Aut qui duobus Dominis servire vult*, DEO & Mammonæ, quod verò impossibile. Matth. VI. 24.

XVII. *Denique inobediens, qui inter Leges discrimen facit, quasdam explere constituit, alias verò eximit.* Quæ enim ratio illarum præstandarum, eadem harum. Unus omnium Legislator est. Qui eximit leges, ille se super Legislatorem evehit, & Leges DEO præscribit.

XVIII. *Tandem inobediens DEO, qui leges, quas superiores in DEO ferunt, violat.* Dum enim à DEO habent potestatem præcipiendi,

endi, ille, qui se opponit, opponit se non solùm hominibus sed etiam DEO. Rom. XIII. 2.

XIX. *Ultimò inobediens considerari potest negligens officia, quæ DEO, proximo & sibi debet.* Accurate loquendo immoriger semper negligit officia erga DEUM, etiam tum quando adversus proximum & seipsum peccat. Quanquam aliquando magis directè & immediatè, aliquando indirectè & mediatè homo se immorigerum erga DEUM exhibeat.

XX. *Hæ sunt præcipuæ inobedientiæ species. Unicus actus subinde ad plures referri potest.*

XXI. *Uti species variant, sic gradus.* Peccatum peccato majus est. Matth. VII. 3. v. 22. Ezech. V. 6. Joh. XIX. 11.

XXII. *Hi cognoscuntur ex lege clariori aut obscuriori, homine magis aut minus informato, objecto & eo vel DEO Patre, Filio aut Spiritu S. aut hominibus itidem variè distinctis, actu turpiori vel minus turpi, interno, vel simul externo, damno, quod inde oritur graviori, aut minus gravi, vicibus frequentioribus, aut rarioribus, obstaculis fortioribus, aut imbecillioribus, causis impulsivis, beneficiis, judiciis, ætate, occasione, & tot aliis circumstantiis concurrentibus, aut magis solitarius.*

XXIII. *Judicium humanum de variis inobedientiæ gradibus facilè fallit. Levis videtur, quæ gravissima est, inobedientia.* Non attendimus aut non perspicimus ea, quæ peccatum aggravant. At DEUS omnia pensitat. Hinc solus justus judex.

XXIV. *Plurima sunt, quæ inobedientiæ enormitatem docent, ejus nomina, natura, effectus, relatio inter Legislatorem & misellum homuncionem aliaque. Hic solùm noto, quòd quamquam specialis inobedientiæ actus contra unam aliquam DEI proprietatem directè pugnet, simul tamen contra reliquas, attrahatquè alios plures vel pauciores speciales inobedientiæ actus:* Unde qui in uno immoriger est, simul est in pluribus. Dictum exemplo illustro: Qui nomen Domini profanat, ejus peccatum speciatim in eo consistit, quod, quum illud omni veneratione exprimere debuisset, sine reverentia, vanè & contemtim pronunciaverit. Hic profanator pugnavit simul contra infinitatem, Omnipræsentiam, Omniscientiam, Omnipotentiam, Sanctitatem, Justitiam, Bonitatem, Majestatem DEI, officia veluti amorem, reverentiam, fiduciam DEO debitam. Scelestus hic actus his omnibus contrariatur. Non datur peccatum aliquod solitarium. Atque hoc est

eſt, quod Jacobus ait. Cap. II. 10. *Qui impingit* ἐν ἑνὶ *in uno, ille* πάντων ἔνοχος *omnium reus eſt.*

XXV. *Inobedientia primò oritur ex ignorantia voluntatis divinæ.* Homo, qui DEI voluntatem ignorat, eam præſtare nequit. Hinc tantus inobedientium numerus, quia tantus ignorantium, maxime eorum, qui voluntatem DEI perfectam, gratam, populo ſuo peculiari Chriſtiano latam ignorant. *Dein ex propria, quam nunc peccator habet, voluntate.* Nam quid eſt inobedientia, quam propria voluntas, juxta quam homo ſibi Dominus eſt, & ait: Nolo, quod DEUS vult. Faciam, quod ipſe volo. Determinat autem ſe homo ad nolendum aut volendum hoc vel illud, prout reperit ſibi inglorium, noxium, aut honorificum & utile eſſe. Hinc nunc alia inobedientiæ cauſa, *perverſus ſui ipſius amor*, ſurgit Ex eadem causâ flectitur voluntas huc, illuc minantibus aut promittentibus vel præeuntibus hominibus, Auctoritate, ſanguine, numero conſpicuis. Hæc de inobedientia.

XXVI. *Sequitur Obedientia, quæ eſt illa hominis virtus, qua is abnegata propria voluntate, illud ipſum vult agitque, quod DEUS vult.*

XXVII. *Qui obedire vult, oportet voluntatem Domini rectè sciat.* Alias non potest obedire aut non rectè. Hebræi & Græci *obedire* per שמע ὑπακούειν, expresserunt, significaturi, id ipsum agendum esse, quod ex ore Domini auditum est.

XXVIII. *Oportet porrò abneget propriam Voluntatem,* sive ut nihil ipse ex se disponat, mutet, addat, adimat contra voluntatem Domini. Hic valet: *Non ut ego volo, sed ut tu vis.*

XXIX. *Oportet præterea velit id ipsum, quod DEUS vult præscribitque.* Actio enim omnis dependet à voluntate. Ago, quod volo & quia volo. Corporis quidem actiones externæ possunt vi cogi, sed non mentis.

XXX. *Oportet denique agat, quod vult juxta voluntatem & præceptum DEI.* Obedientia enim est executio voluntatis mandantis. Qui vult facere, nondum fecit. Quanquam voluntate rectè se habente ac imperante actio sequatur. Aut si citra culpam volentis non posset sequi, voluntas sine externa actione jam obedientia habetur. Ex adverso inobediens is, qui quidem vult, sed ab actione impediri se sinit, nec impedimentum illud tollit, dum tollere valet.

XXXI. *Hinc nunc sequitur, quod obedientia requiratur universalis,* præstans non solùm

unum

unum aut alterum, quod DEUS jussit, sed omne Gal. III. 10. Vel quare hoc agendum putas? Quia DEUS præcepit. Rectè; sed DEUS etiam illud præcepit.

XXXII. *Unde nunc porrò sequitur, quod obedientia nostra debeat esse & interna & externa.* Saltem quando DEUS vult, ut conjuncta sit. Externa nunquam absque interna esse potest. Est enim vel actus ille instinctus naturalis tantùm vel hypocrisis, non verò obedientia, quæ provenit à voluntate, adeoque interiori principio subjiciendi se voluntati Numinis. 1. Tim. I. 5. Ps. CXIX. 77. Interna aliquando est sine externa, quod de specialibus actibus intelligendum est.

XXXIII. *Etiam testanda est non solùm Creatori, sed in Creatore Creaturis rationalibus, superioribus, paribus, inferioribus, irrationalibus.* Vult enim Creator, ut his creaturis certa officia præstem. Si ergo Creatori obedire volo, hæc officia explere debeo. Exinde verò sponte fluit, Creaturis, Magistratibus, Pastoribus, Parentibus, Patronis &c. nullam obedientiam exhiberi posse, quæ DEI voluntati repugnet. Act. IV. 19. V. 29.

XXXIV. *Insuper requiritur constans & fortis,* DEUS qui vult, ut hoc tempore obediam, idem

idem vult, ut omni alio. Quæ autem ratio ut nunc obediam, eadem ut omni. Unde nobis ἐμμένειν *permansio* incumbit. Gal. III. 10. Servus quamdiu servus, obedire debet. Servitus nostra nunquam finitur. Quare & tum obediendum, si obedientia nostra multum periculi, damni, ignominiæ, molestiæ causatur.

XXXV. *Præterea Cæca.* Clarè quidem scire debeo, DEUM hoc illudve velle, & tum quidem clarius, quo actio magis insolita. Sed quando certò scio velle DEUM, voluntas explenda est, quanquam non assequar rationes & scopum voluntatis divinæ, imò si vel maxime arbitrarer obedientiam meam esse noxiam. Mandata herilia à servis sæpenumero non intelliguntur, vel etiam ratione destitui videntur: sunt tamen exequenda. Quanto magis DEI voluntas. DEI non est creaturis rationem reddere, quare hoc vel illud agendum. Sufficit, quod DEUS velit Joh. XIII. 7. 8. DEI voluntas semper sapiens est, & tum quidem sapientissima, si nobis stulta videtur 1. Cor. I. 25. Ita obedivit Abrahamus Gen. XXII. Hebr. XI. 17.

XXXVI. *Proporrò humilis*: Obediens enim habet χέειν *servi*, quem nihil minus decet

ac

ic fastus. Homo obediens agnoscit, se nihil esse, aut habere, aut posse. Omnia DEI esse & hinc omnia ad DEUM referenda esse. Quare audita voluntate Numinis in humilitate eam suscipit. Implorat divinum auxilium, ut præceptum, quod ex propriis viribus præstare nequit, ex donatis præstare queat. Obedientiam præstans jugiter à Domino suo dependet curatè mandatum observans & continuum influxum potentiæ divinæ expetens. Quam obedientiam præstitit, DEO acceptam refert, debitam agnoscit, & varias imperfectiones, quas ex se profluentes observavit, sincerè fatetur Luc. XVII. 10.

XXXVII. *Denique intendens glorificationem Domini.* Qui leges DEI observat ex solo metu, aut sola spe commodi, honoris, ille non rectè obedit. Omnium actionum nostrarum scopus glorificatio DEI esse debet 1 Cor. X. 31. obedire adeoque debemus, ita DEUS vult: quia ita tanquam Dominus, qualis revera est, honoratur.

XXXVIII. *Obedientia gradu diversa est.* Perfectior voluntatis divinæ notitia etiam perfectiorem obedientiam ex se gignere valet, gignitque. Rom. XII. 2. Phil. I. 9-12. προθυμία ad volendum, quod DEUS vult,

C prompta

prompta quoque atque læta executio mandati obedientiam laudabilem faciunt, maxime tum, si conjuncta est cum periculo, molestia, damno 2. Cor. VIII. 11. IX. 7. Si adeoque obediens nonnisi DEI gloriam, non verò propriam aut proprium cōmodum pro scopo habet. Hinc obedire constituit, qualemcunq; successum in mundo obedientia habitura. Dan. III. 17. 18. 1. Petr. II. 19. 20.

XXXIX. *Qui ad hæc obedientiæ requisita ac gradus rectè attendit, confertque cum dispositione cordis ac actionibus suis, ille sine magna difficultate nosse poterit, an ex obedientium numero sit, nec ne.* Quod vero nosse nostrâ refert. Nec enim Christus aliis causa salutis, quam obedientibus Hebr. V. 9. existit.

XL. *Examinaturus se probe sibi caveat à quibusdam exitiosis præjudiciis ac erroribus.* I. Christum pro se obedivisse: Hinc propriam obedientiam non requiri. DEUM non vicariam & propriam obedientiam poscere. R. Christus minimè pro te obedivit, ut tu legibus solutus in diem viveres, sed ut ipsi obedires. Sin, nullum jus aut usum ex obedientia Christi habes. Christus consummatus *omnibus* ὑπακούουσιν αὐτῷ *ipsi obedientibus causa æternæ salutis factus est* Hebr. V. 9. Unde fideles dicuntur τέκνα ὑπακοῆ[ς]

ὑπακοῆς *liberi obedientes* 1. Petr. 1. 14. Sed terribilis vindicta manet τοὺς μὴ ὑπακούοντας τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ *non obedientes Evangelio Domini nostri JESU Christi.* 2. Thess. I. 8. II. Obedientiam meritoriam esse, ℞. Obedientia, quæ humilis, cum consecutione salutis conjunctissima est, sed non superba, qualis est eorum, qui salutem promereri volunt, sive poscere à DEO tantùm, quantum ipsi dederunt. Christus est causa salutis. III. Ais quoque habere te προθυμίαν τοῦ θέλειν velle te obedire, DEUM verò ad voluntatem respicere, agnoscere te quoque & commendare obedientiam. ℞. Verum quidem, quod DEUS προθυμίαν τοῦ θέλειν respiciat, atque etiam illâ contentus sit, si executio impossibilis, sed non aliter. Aliâs προθυμία τοῦ θέλειν *promta voluntas* exire debet εἰς τὸ ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ἔχειν *in perficere ex eo, quod quis habet.* 2. Cor. VIII. 10. 11. Etiam illi, qui dicunt *Domine, Domine,* Dominium divinum agnoscunt, sed à Cœlo excluduntur, quia non faciunt voluntatem Patris cœlestis Matth. VII. 21. Qui commendant obedientiam, non tamen ipsi obediunt, graviter à Paulo reprehenduntur: *Tu qui doces alium, te ipsum doce: Qui prædicas, non esse furandum, ipse furaris:*

Qui ais non esse mœchandum, & ipse mœcharis. Rom. II. 21. 22. IV. Nec putandum illum, qui agit propter se aut propter homines, etiam in cultu sacro, DEO obedire. Obedientia enim prærequirit voluntatem Domini. V. Denique etiam illi se seducunt comparantes actiones suas cum aliis magis sceleratis. Gradus minor inobedientiæ non eximit ab inobedientia, sed tantum à gradu majori.

XLI. *Producenda hic sunt quædam quæstiones*, quæ ex dictis moveri solent, iisque respondendum. *Prima est, si obedientia requirit voluntatem DEI, quid tum agendum, si hæc sciri nequit?* R. Integra mente inquirendum est in voluntatem DEI, ut, quæ nunc ignoratur, postea innotescat. Tali investigationi benedicet DEUS. 2. Nunquam quidquam agendum est, quod quis putat voluntati divinæ adversari, si vel maxime alii prætenderent, DEUM id præcepisse. Alias talis homini obediret, DEO inobediens esset. 3. Si constat, quod actus ille à DEO non prohibitus, quanquam non cognoscatur à DEO speciatim mandatus, situs ille in libertate hominis est. Peragit eum aut non, prout circumstantiæ poscunt. Si peragit, refert ad gloriam & ædificationem proximi. 4. Atque ita, quan-

quanquam actus speciatim non præceptus est, obediit 1. Cor. X. 31.

XLII. *Secunda: An, quemadmodum unicus inobedientiæ character actionem malam constituit, bonam constituat, cui inest unicus obedientiæ?* ℞. Non. Plus requiritur ad obedientiam, quam ad inobedientiam. Ille qui opus in se bonum agit, aut qui intendit actione sua DEUM glorificare ex inobedientium numero sæpius est. Exemplis res clara fit. Eleemosyna in se bonum opus, sed is non obedit, qui stipem erogat, ut spectetur. Vult enim DEUS non solum ut Eleemosyna erogetur, sed etiam debito scopo & animo. At animus & scopus deest. Persecutores intendunt gloriam DEI, & tamen immorigeri sunt.

XLIII. Tertia: *An ergo omnes characteres obedientiæ, qui supra allati sunt, requirantur, si quis obedire dicendus.* ℞. Alii constituunt naturam obedientiæ, sine quibus obedientia nulla est: Alii vero varios obedientiæ gradus indicant. Illi sunt necessarii: Hi vero perficiunt & ornant obedientiam. Veluti si promtè, hilariter, ea quoque mandata, quæ gravissima sunt, nonnisi ad DEUM glorificandum aguntur. Non tamen dicendus est inobediens, qui agit, quod agendum,

omittit, quod omittendum sine promtitudine ac hilaritate. 2. Actus particulares rari distinguendi sunt ab animo, ejus προθυμίᾳ, actibus ordinariis. Obedientium animus ad omnem voluntatem DEI, etiam illam, quæ carni molestissima, exequendum propensus esse debet. Eorum quoque ordinariæ actiones legi, quam cognoscunt, conformes requiruntur. Si vero unum alterumve actum inobedientiæ committunt, elogium *filiorum obedientiæ* iis non statim denegandum. Ab animo, proposito, actibus ordinariis fit denominatio. Inobedientes quidem sunt respectu particularium actuum, sed quia illos fatentur, rejiciunt, abominantur, gratiam remissionis implorant, atque etiam in Christo consequuntur, inobedientes non dicuntur.

XLIV. *Obedientia*, uti juxta antecedentia comparata esse debet, *naturâ nobis non inest*. Naturâ sumus ἀπειθεῖς *immorigeri* Tit. III. 3. *Filii Inobedientiæ*. Eph. II. 2. Qui Dominum nostrum ejusque sanctas leges nequidem scimus, multo minus amamus, præstamus: qui declinavimus à DEO & ad obediendum inutiles facti: Obedimus autem peccato in concupiscentiis suis, & membra nostra arma injustitiæ sistimus. Rom. III. 10. VI. 12. 13.

Sumus

Sumus enim carnales. At caro legi DEI non subjecta est οὐδὲ γὰρ δύναται *neque enim potest*. Rom. VIII. 7.

XLV. *Solus DEUS nos verè obedientes reddere potest, vult.* Ex filiis inobedientiæ, quales naturâ, τέκνα ὑπακοῆς *filii obedientiæ* regenerandi sumus. 1. Petr. I. 3. 14. accipiendo καινότητα πνεύματος *novitatem Spiritus*. Rom. VII. 6. Nam illi soli, qui ex DEO nati, mundum vincunt, præceptaq; ecustodiunt 1. Joh. V. 3. 4. Spiritus S. per quem veritati obedimus 1. Petr. I. 23. operatur in nobis καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν *& velle & efficere* Philip. II. 13. animum & actum obediendi.

XLVI. *Obedientiam præstiturus, exculturus sequentibus mediis utatur:* Contendat voluntatem DEI ex Legibus Naturæ, Scripturæ, Spiritûs S. in cordibus operantis nôsse & explorare τὰ διαφέροντα, voluntatem DEI bonam, gratam ac perfectam: Abneget propriam voluntatem, quæ prima Christianismi regula, eaque justissima est: Credat præconio Evangelii, quod ὑπακοὴν πίστεως *Obedientiam fidei* producit Rom. I. 5. XVI. 26. 2. Cor. X. 5. Exerceat se in obedientia. Actus enim obedientiæ iterati obedientiam facilem reddunt, docentque, quam præstans ac salutaris sit. Perpendat varias,

quæ obedientiam suadent, rationes compellentes. Tales sunt.

XLVII. I. *Inobedientiæ damnum.* *Filii Inobedientiæ sunt* mancipia Satanæ Ephes. II. 2. Rom. VI. 16. Dominum adeoque habent Diabolum omnis infelicitatis auctorem, à quo aliam mercedem, quam infelicitatem, expectare nequeunt. Jam infelices sunt, dum Satanæ obedientes odio habent, invident, irascuntur, inquieti vivunt, quanto infeliciores damnandi. 1. Petr. IV. 17. Nulla quies, quæ juramento divino illis denegata, exspectanda est. Hebr. III. 18. Sed ira DEI mansura Joh. III. 36. *Inobedientibus veritati, obedientibus vero injustitiæ erit excandescentia & ira, afflictio & angustia super omnem animam hominis, quæ malum operatur.* Rom. II. 8. 9.

XLVIII. II. *Obedientiæ commodum.* Qui obediunt, sunt *Filii Obedientiæ.* Filii adeoque DEI, quibus non potest non bene esse. Patrem enim habent & divitem & liberalem & potentem, qui non permittit ut bonæ indolis filiis ullus verus defectus sit. *Bonitas Jehovæ à seculo ad seculum super illos, qui ipsum timent, qui custodiunt fœdus ejus & memorant deposita ad faciendum illa* Ps. CIII. 17. 18. Vide Psalmum integrum CXII. *Qui facit*

facit voluntatem DEI, manet in Æternum. 1. Joh. II. 17. *intrat in Regnum DEI.* Matth. VII. 21.

XLIX. III. *Obedientia Æquitas.* DEUS est Dominus, homo servus. Homo, quæ habet, à DEO habet. DEUS singulis momentis in corpus & animam hominis influit. Nemo alius in hominem, nec homo in seipsum jus habet. Quid ergo magis æquum, quam ut homo servus continuis beneficiis fruens Domino suo benignissimo serviat.


L. IV. *Obedientia justitia & necessitas.* Non solùm æquum, sed & justum imo necessarium est, ut homo DEO obediat. Si nullæ essent ad obediendum leges, æquum tamen ut obediremus. At sunt leges, & quidem multæ ac variæ. Ergo justum est, ut iis morem geramus. Vita enim, quam ducimus, anima ejusque facultates, corpus ejusque sensus ac membra sunt non tam nostra, quam DEI. Justum igitur, ut quod DEI est, DEO tribuamus, impendamus, prout Dominus vult. Necessarium quoque, nisi in tempore & æternitate infelices esse velimus. DEUS enim minatus est maledictionem illis, qui non manent in omnibus, quæ scripta sunt in lege.

LI. V. *Natura Domini.* Aut nullus Dominus, aut DEUS Dominus. Quodcunque justum Dominii titulum constituit, id reperis in Dominium divinum quadrare, & quidem ratione perfectissima. Nec illa sola argumenta, quæ titulum Dominii alias constituere habentur, heic obtinent sed insuper alia DEO uti propria, sic efficacissima. Est enim Dominus jure creationis, conservationis, gubernationis, redemtionis, nativitatis, protectionis. Etiam quælibet creatura ex intimis visceribus persuasa in Dominium hoc consentire debet, maximè Christianus, qui ab initio tanquam servus Triunius DEI in nomen Patris, Filii & Spiritûs S. baptizatur: qui servitium hoc toties probat, confirmat, sanctè promittit, præsertim S. Cœnâ fruens. Denique in DEI natura sunt, quæcunque servus excogitare posset. Ubicunque servus est, Dominus est. Alii servi heros suos rarius vident. At hic Dominus servum suum ubique sequitur, antecedit, circumstat. In quocumque hinc statu versatur, etiam Dominus novit & curat pro illo. Si nescit quid agendum, Dominus docet. Si indiget gratiâ, Dominus misericors est. Si servitium difficile, potens Dominus eum juvat.

Si

Si alius ipsum lædere vult, Omnipotens Dominus ei auxilio est. Optat huic Domino semper servire, quando alii benigni Domini moriuntur, hic immortalis ac immutabilis Dominus est. Hic Dominus Dominorum est. Gloriosum itaque huic Domino obedire.

LII. Quare quando impossibile est duobus Dominis servire, unus odio habendus, alter diligendus est. Quid cunctamur Satanam, mundum Dominium suum nobis obtrudentem rejicere, detestari? Quum tandem non alia ex hoc servitio merces expectanda, quam pudor & mors, Rom. VI. 21. At ex servitio DEI sanctificatio, perfectio naturæ nostræ, gloria & vita æterna. Qui in his terris justo Domino serviunt, servient ei quoque in Hierosolyma cœlesti, & simul regnabunt in Secula Seculorum. Apoc. XXII. 3. 5.



CAPUT

CAPUT III.

DE
Cognitione DEI.

Σύνοψις.

Obedientia, de qua antea, comprehendit omnia officia specialia. §. *I - IV.*

Nam Obedientia est integra catena, cujus annuli specialia officia sunt. §. *V.*

Hæc pro variis objectis dispescuntur in ea, quæ DEO, proximo ac nobis ipsis debemus. §. *VI.*

Officia erga DEUM sunt vel interna vel externa. §. *VII. VIII.*

Horum officiorum ordo arbitrarius quidem est. Qui tamen maximè conveniens, hic indicatur. §. *IX. X.*

Sunt illa inter se unitissima. §. *XI.*

Primum ex iis est cognitio DEI. §. *XII.*

Cujus opposita vitia primò tractanda sunt. §. *XIII.*

Sunt autem sequentia:

I. *Ignorantia.* §. *XIV.*

II. *Notitia superficiaria.* §. *XV.*

III. *Notitia rerum mundanarum.* §. *XVI.*

IV. *Notitia Theologica* ψευδώνυμος. §. *XVII.*

V. *Notitia sterilis.* §. *XVIIII.*

VI. *Notitia falsa.* §. *XIX.*

His mundus Christianus abundat. §. *XX.*

Indicantur horum vitiorum fontes. §. *XXI-XXIV.*

Enormitas ac damnum. §. *XXIV. XXV.*

§. I.

O*Bedientia, quam DEO debemus, complectitur omnia officia specialia.* Hæc enim nihil sunt, nisi speciales actus obedientiæ, veluti

veluti qui amat, reveretur, confidit &c. ille DEO obedit.

II. *Unde vera obedientia non est, cui deest speciale officium.* Quanquam quis DEUM cognosceret, revereretur, amaret, non confideret ei, ille non obediret.

III. *Una tantùm obedientia est, ut aliàs dicitur: una virtus.*

IV. *Quanquam speciales actus, ab eo quod prædominatur, aut quo magis respiciunt, denominentur,* veluti dicuntur cognitio, amor, reverentia &c.

V. *Obedientia est quasi catena ex pluribus annulis constans. Actus obedientiæ speciales sunt annuli, qui catenam constituunt.* Uti vero uno annulo soluto catena soluta est, sic uno officio non præstito, obedientia legi exhibita non est. Et catenæ annuli omnes inter se conjuncti poscuntur, quomodo omnes obedientiæ actus uniti, si ex iis vera obedientia exsurgere debet.

VI. *Officia specialia, quæ unà obedientiam constituunt, commodè dispescuntur in ea, quæ DEO, proximo & nobis debemus.* Tit. II, 12.

VII. *Ea, quæ DEO debemus, subdividuntur in interna & externa.* Interna non ita interna dicuntur, quasi nunquam extra homi-

hominem prodire deberent, sed nonnisi in oppositione ad externa, quæ semper externa sunt.

VIII. *Interna præcedunt externa. Externa, si non ex interiori cordis principio profluunt, DEO placere nequeunt.* Matth. XV. 8. 9.

IX. *Quis officiorum internorum ordo sit, quodnam primum, secundum &c. & difficulter noscitur, nec necessarium est cognitu: Necessarium tamen, ut contendamus omnia explere.*

X. *Cujusvis arbitrio relictum est, quem locum unicuique dare velit.* Commodè videtur præmitti cognitio, tum subjicitur reverentia. Hanc sequitur amor. Amor gignit spem & fiduciam. Ultimò tractanda precatio mentis. Hic ordo videtur naturalis, causalisque. Cognitio est ante omnia, & ex cognitione fluunt reliqua. DEUM reveremur, antequam amamus. Reverentia ducit ad amorem. Amamus antequam confidimus. Qui confidit, ille precatur, ut DEUS avertat malum, largiatur bonum.

XI. *Officia hæc, uti conjunctissima sunt, sic sibi invicem splendorem opemque adferunt.* Cognitio præcedit quidem reliqua officia. Hæc verò veluti reverentia, amor cognitionem illustrant augent, perficiuntque. Reverentia cum amore conjuncta pulchra est.

Et

Et ſic quoad reliqua. Summus ornatus, ſumma fortitudo in fœcundo horum officiorum conjugio conſiſtit.

XII. *Primum ergò officium ſpeciale eſt cognitio DEI.* Eſt enim εἰσαγωγὴ & fundamentum reliquorum officiorum, reverentiæ amoris, fiduciæ &c. Amo DEUM, quia amandum eſſe novi. Et ſic quoad reliqua. Non rectè DEUM diligerem, ſi ipſum diligendum ignorarem. Ex adverſo ubi nulla DEI cognitio, nulla quoque officia erga eum ritè præſtari queunt. Patet idem ex ſcriptura Exod. XX. 2. Deut. VI. 4. 5. quæ officiis DEO præſtandis DEI deſcriptionem præmittit. *Confident tibi, qui nomen tuum cognoſcent.* Pſ. IX. 11. Qua ex cauſa vocabulum γινώσκειν ſubinde omnem cultum DEI comprehendit. Nam notitia cultûs initium, cauſa & ſcopus, ſi aliter genuina eſt.

XIII. *Tractaturi hoc officium primò, quæ ipſi opponuntur vitia, producemus:* Poſt peccatum vitia virtutes præcedunt. Hinc homini ad virtutem contendenti utile, faciem ſuam ſordidam in ſpeculo legis primò intueri, tum ſordes abluere, & munditiei ſtudere. Quare hæc methodus jam in ſuperioribus placebat. Sic Tit. II. 12. 1. Petr. III. 11. Pſ. XXXIV. 15. Eſ. I. 16. 17.

XIV. *Vitia*

XIV. *Vitia cognitioni Numinis opposita hæc sunt.* I. *Ignorantia*: Quando homo nullum conceptum de DEO, perfectionibus ejus, voluntate, operibus, beneficiis habet. Rogatus an DEUS sit, an is omnipræsens &c. respondebit forsan: Omnino. Si verò porrò rogas: Quid sit omnipræsentia, sanctitas, nihil respondere valet, non solùm defectu verborum, sed conceptûs ipsius, sicuti plenior discursus & vitæ ratio docebit.

XV. II. *Notitia superficiaria*, quæ non rem divinam, sed verba, imagines, signa rei divinæ, re signatâ non cognitâ tenet, memoriæque imprimit. Est notitia verbalis, sed ignorantia realis, priori sæpius pejor. Ille enim, qui putat se DEUM nosse, nec novit, difficilius informatur à præjudicio & fastu primò liberandus. At quàm frequens in educatione liberorum! Utinam in educatione liberorum tantùm!

XVI. III. *Notitia rerum mundanarum*: Paulo dicitur σοφία τοῦ αἰῶνος τούτου I. Cor. II. 6. Tales res vel sunt in se malæ, quales plures in mundo, vel saltem ob abusum; si ea, quæ ut instrumenta tractanda atque ad veram sapientiam referenda, pro ipsa sapientia, saltem actu, habentur: Si homines in iis consenescunt: Si quæ ultimo loco ha-

 benda,

benda, primo habentur, & quæ primo, ultimo aut etiam nullo. Si πάρεργον ἔργον fit: ἔργον vero vix πάρεργον. Res mundanæ in se malæ cum notitia DEI prorsus consistere nequeunt. Opposita enim non conjunguntur. Cæteræ verò, si cum detrimento, contemtu veræ DEI notitiæ discuntur, docentur, excoluntur, applicantur 1. Cor. I. 20. 21. Coloss. II. 8. Talis quò magis vasta est, tantò magis veræ notitiæ obstat.

XVII. IV. *Notitia Theologica* ψευδώνυμος *falsò nominata*. 1. Tim. VI. 20. qualis est, quæ in vocibus hæret, & κενοφωνίας, λογομαχίας committit, 1. Tim. VI. 4. 2. Tim. II. 14. quæ præterito aut negligenter tractato fine præceptorum, qui charitas est, occupata circa subtilia, curiosa, obscuros rerum modos, quæstiones, quæ Christianos non ædificant, 1. Tim. I. 4. 5. Tit. III. 9. quæ citra necessitatem rixosa, dominans in aliorum conscientias ac ad damnandum eos, qui idem fundamentum tenent, prona est. 1. Cor. XI. 16. 1. Petr. V. 3. Tit. III. 9.

XVIII. V. *Notitia sterilis*. Omnis de DEO doctrina ad cultum comparata. Quando verò homo in Theoria subsistit, nec refert ad DEI cultum, aut ore quidem refert, non

verò

verò corde & opere, vitiosa, imò exitiosa notitia est. Matth. VII. 26. 27. Rom. II. 17. f.

XIX. VI. *Tandem notitia falsa*, quæ falsum de DEO conceptum fovet. Qualis est, DEUM in templo, aut in cœlis inclusum, Regis mundani instar, concipere, vel ut benignum, non verò justum, aut tentatorem ad malum, & quæ similia malè fœcunda falsa cogitata de DEO sunt.

XX. Si nunc mundum Christianum lustramus, atque eum cum allatis conferimus, quantus eorum numerus, qui ignorantiâ DEI, aut saltem vitiosâ notitiâ laborant! Fundata est etiamnum illa Hoseæ querela אין דעת אלהים בארץ *non est notitia DEI in terra* Cap. IV. 1. Ignorantia enim in pagis, inter servos & ancillas, notitia superficiaria in urbibus, scholis, notitia rerum mundanarum apud principes τῦ αἰῶνος τύτυ *hujus seculi*, γνῶσις ψευδώνυμος apud scribas & Pharisæos est.

XXI. *Facilius est horum vitiorum causas nôsse, quam eas tollere. Ex iis, quæ non in nostra potestate, corruptio originaria est. In nostra potestate magis sunt, & quidem alia concernunt Auditores, alia eorum præfectos.*

XXII. *Illa* sunt *pigritia* ad legendum, audiendum, meditandum res divinas: *vita tota*

occupata circa mundum vel voluptuosa, vel pretiosa vel fastuosa propinantem, allicientem aut damnantem ad opera servilia, vix absque respiratione jugiter agenda. Hâc enim ratione non solùm tempus præripitur notitiæ DEI dandum, sed, quod adhuc magis est, ipse animus ad contraria objecta alligatur. *Accedunt præjudicia:* Notitiam DEI ad Theologos tantùm pertinere, nullam utilitatem aut pulchritudinem illi inesse. Fieri quoque potest, ut qui falsò opinantur falsò nominatam γνῶσιν veram esse, ejus tædium concipiant, arbitrantes DEUM cognosci non posse, nisi rixando, damnando, subtiles quæstiones movendo.

XXIII. *Hæ;* Qui informationi præfecti sunt, illi sæpius eâdem crassâ ignorantiâ aut vitiosâ DEI notitiâ constricti existunt. Jam quod quis habet, alteri dat, si quid dat, non verò quod ipse non habet. Parentes plurimùm nec possunt liberos informare, nec volunt, sed vocibus & exemplis præeunt ad mundum cognoscendum. Tenerioris ætatis nonnisi memoriâ exercentur. Qui judicare, ratiocinari incipiunt, illi ἔργον circa mundana objecta faciunt, tenenturque facere, vel divina quidem, non tamen eo fine & conatu, ut voluntas ad DEUM moveatur.

XXIV. *Vitia hac evitaturi notare debemus primò* ignorantiam DEI primum omnium ſcelerum fontem eſſe. Ignorantia intellectui eſt, quod tenebræ oculis. Qui in tenebris ambulat, is facilè impingit in alios proſternitque, neſcit, quò vadit & incertus eſt quando præceps ruat. Qui DEUM ignorat, ille DEUM colere nequit. Ille propter DEUM nulla officia ſuſcipit, præſtat. A nullo ſcelere retrahitur, nam in corde ejus *non eſt DEUS.* Hinc corrumpit & vias ſuas deteſtabiles facit. *Dein* ignorantiam Numinis homini rationali, maxime Chriſtiano, probroſam eſſe. *Quidam DEI ignorantiam tenent:* πρὸς ἐντροπὴν *ad ignominiam vobis dico* 1. Cor. XV. 34. Tales beſtiis inferiores Jeſ. I. 3. Hinc Paulus argumentum à probro quaſi ſumturus ait: *An non noſtis, injuſtos Regnum DEI non hæreditaturos?* 1. Cor. VI. 9. 2. V. 6. *An contemnis divitias benignitatis DEI ac tolerantiam & longanimitatem* ἀγνοῶν *ignorans benignitatem DEI te ad reſipiſcentiam ducere debere* Rom. II. 4. *Tertiò* ignorantiam hanc inſuper cum judiciis divinis conjunctam eſſe. *Populus meus exſcinditur* מבלי דעת *ſine notitia: quia tu notitiam rejeciſti, etiam te rejiciam, ne pro me ſacerdotio fungaris, & quia oblitus*

es legis DEI tui, etiam ego filiorum tuorum obliviſcar. Hoſ. IV. 6. conf. 2. Theſſ. I. 8.

XXV. *Hæc ipſa argumenta valent adverſus notitiam rerum mundanarum, Theologicam falsò nominatam ac ſterilem:* Deeſt quippe vera DEI notitia. *Notitia* verò, quæ illis eſt, *inflat* 1. Cor. VIII. 1. offendit, contemnit proximum. Tales putant ſe divina nôſſe & nihil quidquam nôrunt ỽ. 2. Hinc non, aut difficulter ſe inſtitui patiuntur. Quæ illis ineſt eruditio, effert ſe adverſus cognitionem Chriſti. Ejusmodi legisperitis Chriſtus væ interminatur, quoniam clavem cognitionis abſtulerunt: Ipſi non ingrediuntur arcentque alios intraturos, Luc. XI. 52.

XXVI. *Sequitur officium ipſum, ſive cognitio DEI, qua DEI proprietates, opera, voluntas ad rectum cultum DEO præſtandum cognoſcuntur.*

XXVII. *DEUM ergo cogniturus primò cognoſcere debet proprietates divinas.* Proprietates enim ſunt ipſe DEUS. Hinc proprietatibus non cognitis, DEUS non cognoſcitur. In incipientibus eſt cognitio proprietatum divinarum generalior & minus diſtincta. In provectioribus verò ſpecialior & clarior. Tum perfectiones hæ facilius cogno-

cognoſcuntur negativè quam poſitivè, maximè illæ, quæ dicuntur incommunicabiles. Communicabiles quodam modo depictæ cernuntur in regenitis. Imperfectio, quæ picturæ ineſt, tollitur, & perfectio modo eminenti DEO attribuitur.

XXVIII. *Cognoſcenda dein opera divina: Opera naturæ,* creatio, conſervatio, gubernatio, eaque univerſalis quoad creaturas inanimatas, animatas, ratione præditas, harum actiones neceſſarias, liberas, contingentes, bonas, malas. *Opera gratiæ,* qualia ſunt redemtio, vocatio, juſtificatio, ſanctificatio, confirmatio, glorificatio, Miniſterium Evangelii externum, Operationes Spiritûs S. internæ. Qui hæc opera divina non novit, DEUM non cognoſcit Eſ. V. 12. 13.

XXIX. *Cognoſcenda denique voluntas divina,* præcipiens ut omne peccatum agnoſcamus, confiteamur, relinquamus, emendemus, præſtemus officia erga DEUM, proximum, nos ipſos. DEUS hoc modo non cognitus ignoratur, ſi quis etiam perfectiones & opera Divina cognoſceret (quod tamen impoſſibile) non verò ſanctam ejus voluntatem, ille DEUM non cognoſceret.

XXX. *Poſtulata hujus cognitionis ſunt.* I. *Veritas.* Quod de DEO cognoſcitur, in DEO

oportet ſit. Quæ DEI notitia nos ad officia compellere debet, vera poſcitur. Alioquin officii, quod inde deducitur, fundamentum nullum.

XXXI. II. *Sufficientia.* Tantum de DEO cognoſcendum, quantum ad rectum & integrum cultum requiritur. Quæ ſufficiens de DEO notitia ſit, id curatius definire perdifficile eſt. Solent facilè homines ſua ſublimiora de rebus divinis cogitata, quæ ipſis magnopere placent, pro cognitu neceſſariis habere. Sed quæ verè neceſſaria, illa facilia attendentibus. Illa quoque procul dubio perſpicuè in ſacris proſtant. Vel an credibile, DEUM minus neceſſaria perſpicuè in ſacris manifeſtaſſe, non item neceſſaria? Illa inſuper omni tempore ſub V. & N. Teſtamento cognoſcebantur. Quæ enim cognitio ad cultum DEI olim ſufficiens, illa quoque hodie. Quis verò dubitat, DEUM jam olim tantum de ſe revelaſſe, quantum ad cultum neceſſe erat? Capita neceſſaria notis quibusdam in Scriptura diſtinguuntur. Joh. XVII. 3. XIV. 6. 1. Joh. II. 3. 4. Actor. IV. 10. 11. 12. Hebr. XIII. 8. XII. 14. Talia ſunt, DEUM eſſe auctorem ſalutis in Chriſto JESU omnibus miſeriam

ſuam

ſuam agnoſcentibus, reſipiſcentibus, credentibus, obedientibus.

XXXII. III. *Modeſtia.* Modeſta illa notitia, quæ rem divinam novit, quanquam non rei modos, limites, aliaque difficilia. Uti ſiquis novit DEUM eſſe omniſcium, licet modum, quo DEUS omnia ſcit, modeſtè ignoret Pſ. CXXXIX. 6. Novit nihil absque DEO fieri, non tamen novit, quomodo omnia à DEO proficiſcantur, regantur. Rom. XI. 33. 34. Is, qui modeſtæ notitiæ ſtudet, magis vult noſſe voluntatem DEI ſibi præcipientem, quam arcanam decernentem. Magis ergò contendit noſſe quid velit DEUS à ſe fieri Act. IX. 6. quam quo modo æternus, omnipræſens &c. ſit, quo modo de rebus futuris ab æterno decreverit: quo modo in tempore mundum creaverit &c. & quæ alia immodeſta de modis perfectionum, actionum themata, ad litigandum comparata. Quaſi nos homunciones ejusmodi modos ratiociniis noſtris inveſtigare valeamus, qui ne quidem modos actionum noſtrarum aſſequimur. Modeſtè cum Paulo dicamus: *nos tantùm ex parte cognoſcere* 1. Cor. XIII. 9.

XXXIII. IV. *Efficacia ad agendum id, quod thema cognitum docet.* Thema eſt vel theore-

ticum vel practicum. Hoc: veluti DEUM esse amandum &c. Si cognosco DEUM esse amandum, tum quoque à me amandus. Illud: Exemplum esto DEUM esse omnipræsentem, sanctum, si id cognosco, tum quoque me talem gerere debeo, qualem postulat omnipræsens & sanctus DEUS. Omnes theoreticæ veritates piæ simul sunt Tit. I. 1. 1. Tim. VI. 3. Quæ non pia est, non est veritas de DEO. Id ipsum vult ratio intellectûs, quo veritates cognoscimus. Datus is, ut moveat voluntatem. Si non movet, inutilis est, similis ligno putrido, quod tempore nocturno splendorem aliquem edit, non calefacit. Hanc notitiam passim urget scriptura. *Annon hoc est nôsse me!* Quodnam illud? Afflicti causam agere. Jer. XXII. 16. conf. Matth. VII. 21-28. Joh. XIII. 17. Jac. III. 17. rejicit verò non conjunctam cum obedientia. *Qui dicit: Cognovi eum, &* (tamen) *præcepta ejus non servat, ille mendax est* 1. Joh. II. 4. Non enim cognoscit DEUM, ceu cujus præcipua cognitio obedientiam demum sequitur, non verò antecedit Ps. XXV. 14. Prov. I. 7. Joh. VII. 17. XIV. 21. 23.

XXXIV. *Cognitio DEI varios gradus habet.* Coloss. I. 9. 10. 2. Petr. III. 18. Eph. IV. 12. 13. 14. 15.

Hebr.

Hebr. V. 11 - f. VI. 1 - 3. Hinc dantur recens nati, pueri, juvenes, patres 1. Petr. II. 2. 1. Joh. II. 13. 14.

XXXV. *Primò ratione puritatis.* Quorundam impurior eſt admixtis præjudiciis, erroribus, quos cum matris lacte ſuxerant. Quia tamen hi fundamentales non ſunt, nec malitiâ retinentur, veritates fundamentales verò regnant, illis notitia DEI denegari nequit 1. Cor. III. 11 - 16. Purior eorum, qui præjudiciis & erroribus depoſitis in puriore luce DEUM norunt. Huc facit exemplum diſcipulorum Chriſti ante & poſt Spiritûs S. effuſionem.

XXXVI. *Secundò ratione objectorum.* Quidam paucas & primas veritates tantùm norunt Hebr. VI. 1. 2. Joh. XVI. 12. Alii plures altioresque, quales ſunt Myſteria, Prophetiæ, typi, maximè operationes ſecretiores Spiritûs S. Hebr. V. 11. 1. Cor. 11. 6-f.

XXXVII. *Tertiò ratione firmitatis.* Sunt qui DEUM & res divinas norunt, ſed qui auctoritate, aſtu, ſophiſmatibus falſorum doctorum ab agnita veritate abſtrahi ſe patiuntur Gal. I. 6. III. 1. aut ſaltem fluctibus ſimiles huc illuc inclinant Eph. IV. 14. Sed alii immoti ſunt, imò longiori tempore ac ſtudio contradicentium in cognitione de

DEO

DEO & rebus divinis magis confirmantur, stabiliuntur.

XXXVIII. *Quartò ratione præstantiæ.* Veritas veritate præstat. Quæ notitia maximè occupata circa præstantissimas veritates, illa alii anteferenda 1. Cor. II. 2. Phil. III. 8. tum maximè, quando hæc diffusior, majori studio themata, quæ nos indirectè concernunt, statum veluti veteris Testamenti, comprehendit.

XXXIX. *Denique ratione informationis humanæ aut divinæ.* DEUS cognoscitur informatione præceptorum: Tum etiam proprio studio, legendo, meditando; Denique illuminatione internâ Spiritûs S. Hæc longè præstantissima est 1. Joh. II. 27. Hebr. VIII. 10. 11. Altera primâ præstat, quanquam ab hac exordium fieri debeat. Utraque utilis est, si ducit, impellit ad ultimam consequendam Act. XVI. 14.

XL. *Ultimò ratione efficaciæ* Quò notitia plus valet ad Christianè vivendum, eò excellentior: Quò minus, eò imperfectior. Ratio clara; quippe veritatum & Mysteriorum cognitorum finis pietas est. Tit. I. 1. 1. Tim. VI. 3. III. 16. Nec alia aliqua notitia tantopere facit ad cognitionem DEI; sicuti cibi natura plenius cognoscitur degusta-

gustata, ita notitia de DEO in praxin deducta. *Petimus ut impleamini cognitione voluntatis DEI in omni sapientia & spirituali intelligentia, ut convenienter Domino ad omne placitum ambuletis fructus ferentes* καὶ αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν Θεοῦ *& crescentes ad cognitionem DEI.* Coloss. I. 9. 10.

XLI. *Quando verò officia, quæ DEO debemus, perfectissimo, quo fieri potest, modo exhibenda sunt, nostrum est, ut DEI notitiam in excellentissimo gradu assequamur.* Facit ad gloriam DEI nostri, atque etiam ad nostram felicitatem & perfectionem. Feliciores & perfectiores sumus, quo DEUM purius, plenius, firmius, excellentius ex interna illuminatione novimus atque ad eum dignè colendum fortius impellimur.

XLII. *Omnis homo naturâ in potestate tenebrarum est* Act. XXVI. 18. hinc tenebricosus, imò *tenebræ* Eph. V. 8. quare DEUM ejusque perfectiones non novit. Dicit in corde suo *non est DEUS* omnipræsens, omniscius, sanctus, justus &c. Quo in statu tenebricoso, si sibi relinqueretur, manere deberet. Tenebræ enim qualitates lucis nullas habent.

XLIII. *Sed DEUS, qui lux* 1. Joh. I. 5. *constituit tenebras dispellere,* hoc est, homini-

bus

bus sui, suarumque perfectionum & voluntatis notitiam manifestare.

XLIV. *Constituit autem pro libertate, qua pollet, aliis minorem, aliis majorem lucem dare* Matth. XXV. 15. XI. 21. Quæ lucis diversitas dependet quoque à locis, temporibus, uti liberrimo lucis diribitori placuit 1. Tim. II. 6. Cujus rei Symbolum in naturâ exhibuit. Orientales plus lucis habent, quàm septentrionales. Plus lucis horâ meridianâ, quam matutinâ est.

XLV. *Lux vel est externa vel interna, tam naturalis, quam spiritualis.*

XLVI. *Lux externa est* Natura, ejus conservatio & regimen Rom. I. 20. Ps. XIX. 1. Dein Lex, sermo Propheticus 2. Petr. I. 19. insuper Evangelium, Prophetiarum & Typorum implementum Matth. IV. 16. 17. 2. Cor. IV. 4. Ultima secundam; Secunda primam claritate antecedit. Attamen & illa & ista & hæc lux grata mente agnoscenda atque sibi subordinanda est.

XLVII. *Lux hac externa nondum sufficit, quod exemplis gentilium, Judaeorum, Christianorum constat.* Physicè cœcus datur, qui in ipsa meridiana luce sedet. Requiritur insuper *Lux interna*, quæ est vel communis, quam DEUS accendit in omnium mentibus

Rom.

Rom. I. 19. II. 15. vel ſpecialis, quæ Spiritu S. ceu igne cœleſti in Chriſtianorum pectoribus accenditur ad cognoſcendum myſteria Evangelii Pſ. XXXVI. 10. CXIX. 18. 1. Joh. II. 27. 2. Cor. IV. 6. Eph. I. 17-20.

XLVIII. *Qui ergo DEUM cognoſcit, id debet gratiæ & potentiæ DEI.* DEI eſt utraque Lux, externa & interna. DEUS eſt *Pater τῶν φώτων luminum* Jac. I. 17. *DEUS ex tenebris ad admirabilem lucem vocat.* 1. Petr. II. 9. DEUS *jubet ut Lux ſplendeat in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ DEI in facie JESU Chriſti* 2. Cor IV. 6. Figura illuminationis Spiritualis proſtat in creatione & gubernatione lucis ut & facultate videndi, quæ oculis noſtris ineſt.

XLIX. *DEUM ergo cogniturus agnoſcat naturales ſuas tenebras, caveatque ſibi à cauſis tenebrarum, & tegumento lucis* 2. Cor. III. 15. uti ſunt infidelitas, affectus, ira, amor, voluntas carnis, ſcelera, præjudicia. *Patrem Luminum ſupplex adeat, ut oculos mentis aperiat, illuminet* Pſ. CXIX. 18. veluti cœcus ille mendicus Matth. XX. 30 - f. *Luce externa naturali, legali, Evangelicâ debitè utatur nec contumaciter oculos claudat. In Luce ambulet.* Ita enim ſemper proprior luci erit.

1. Specia-

L. *Speciatim hæc tria probè observet.* I. *Omnem notitiam DEI practicam esse.* Quare, quam didicit de DEO perfectionem ad usum pium tum mente tum opere externo referet. Veluti didicit quis, unum DEUM esse, nectet sequentes circiter usus. Si, DEUS unus est, ille solus ut DEUS habendus, colendus: Si beneficium mihi obtigit, ille dedit, & non alius: Si in periculo aliquo versor, ille solus adeundus. Non alii Dii sive personales, sive reales (uti divitiæ, voluptates) habendi sunt. Sed vide ne verbis unitatem, opere verò multitudinem Deorum statuas. Gravissimus error & meritò habetur plures Deos statuere: At & grave vitium plures Deos actu habere. Habent vero omnes ii, qui homines, Patronos, Parentes, Magistratus plus amant, timent, iis confidunt, obediunt &c. quam DEO. II. *DEUM & res divinas spirituales esse. Hanc ergo notitiam non esse rerum, quæ sensus nostros subeunt:* Non ergo neganda ea, quæ ipsi non vidimus, audivimus &c. quorum naturam, modum, limites sensibus & ratiociniis non assequimur. Res divinæ fide recipiendæ sunt, si earum fundamentum in scriptura ac natura est. DEUM omnipræsentem, omniscium credo,

sed

ſed non video, nec etiam modum ratione mea aſſequor 2. Cor. V. 7. Qui medium hoc non tenet, ille magnum obſtaculum notitiæ rerum divinarum ponit. III. *Contendere ad altiora, perfectiora* Hebr. VI. 1. Subſiſtere in principiis, hærere in iisdem thematibus eorumque demonſtratione per ratiocinia & tædioſum & periculoſum eſt. l. c. Omnia, in quibus vita eſt, creſcunt. Quæ non creſcunt, decreſcunt, corrumpuntur. Inædificandum igitur jugiter principiis jactis Jud. ℣. 20. veritate ſemel recte probatâ argumentis non identidem indigemus. Æde exſtructa machinamenta removemus, ædes incolimus. Excipe, ſi veritas illa oppugnaretur, conquaſſaretur ab hoſtibus, quanquam & tum tutum fide oppugnationes repellere. Excipe quoque, ſi tyrones informandos habemus Phil. III. 1.

LI. *Alios informaturi in notitia DEI agnoſcant difficultatem operis & propriam inidoneitatem* 2. Cor. III. 5 6. *Primò & præcipuè agant precando*, ut ipſe DEUS mentes veritatibus divinis illuſtret Eph. I. 16 - 19. *Quas dein veritates de DEO aliis proponunt, eas ipſi illuminata mente teneant. Tum manifeſtatione veritatis commendent ſe ad conſcientiam auditorum* 2. Cor. IV. 2. *habeantque ra-*

 tionem

tionem captûs eorum. Abſit vis, minæ, perſecutiones, quæ non ſunt arma militiæ Chriſtianæ 2. Cor. X. 4. Qui nolunt informari, ſibi relinquantur, pœnas accepturi à principe tenebrarum, qui eorum mentes excœcavit 2. Cor. IV. 3. 4. Actor. XIII. 46. Conſcientiæ & muneri ſatisfecit, qui veram DEI notitiam argumentis & precibus commendavit. Alius omnis conatus fruſtraneus eſt. Si DEUS cognitionem ſui aliter vellet propagatam, aliam prorſus Eccleſiæ ſuæ politiam ad hunc ſcopum comparatam inſtituiſſet.

LII. *Officium hoc commendant voluntas, gloria DEI & propria varia felicitas.* I. *Voluntas: Audi Iſrael Jehova DEUS noſter, Jehova unus.* Deut. VI. 4. דעו, *cognoſcite, quod Jehova DEUS ſit.* Pſ. C. 3. *Creſcite in gratia & cognitione Domini noſtri & Salvatoris JESU Chriſti* 2. Petr. III. 18.

LIII. II. *Gloria DEI.* Hæc ratione creaturarum primò conſiſtit in cognitione Numinis. DEUS non cognitus ignoranti ὡδὲν, ut nihilum eſt. Merito glorioſus DEUS à creaturis intelligentibus cognitionem ſui poſcit, ceu à qua etiam omnis vera obedientia & cultus dependet.

LIV. III. *Quod DEI poſtulatum, uti juſtiſſimum,*

ſimum, ſic nobis optimum eſt. Cognitio DEI enim perficit intellectum. Quod lux oculis, id cognitio DEI intellectui Eccleſ XI. 7. Intellectu ita perfecto, etiam voluntas perficitur. Intellectus enim illuminatus monſtrat, quid non volendum, & quid volendum ſit; ſi ad malum pellimur, avocat, abſtrahit, terret vera DEI cognitio. Si infortunium imminet, aut etiam inflictum eſt, auxilium, ſolatium, tranquillitatem dat. Bonum, quod agendum eſt, commendat, urget. Beneficium, quod obtigit, vero Benefactori attribuit, atque ad eum laudandum impellit. Notitiæ divinæ varia & maxima commoda docet Sapiens Salomo: *Si Sapientia cor tuum intrabit & cognitio animæ tuæ amœna erit, cogitatio cuſtodiet te, prudentia tenebit te, ut libereris à via mala, à viro perverſa loquente: ab illis, qui vias rectas deſerunt, & in viis tenebricoſis incedunt* Prov. II. 10-14. conf. Prov. III. 13-19. VIII. 17-20. & 34. ſ. *Notitia* (DEI maxime) *conclavia* (Spiritualia) *replebuntur omnibus pretioſis ac amœnis opibus. Vir notitiæ corroborat vires ſuas.* Prov. XXIV. 4. 5. Breviter & nervoſe Chriſtus. *Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant ſolum verum DEUM, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Vera DEI cognitio me-

dium est ad vitam æternam, & certa ratione est ipsa vita æterna Joh. XVII. 3.



CAPUT IV.

De
Reverentia & Metu Numinis.

Σύνοψις.

Qui DEUM cognoscit, eum quoque revereatur, timetq;. §. I.

Reverentia erga DEUM adversantur sequentia vitia.

I. *Homines plus timere, quam DEUM. §. II.*

II. *DEUM non rectè timere, id quod variè fieri solet. §. III.*

III. *Liberè peccare. §. IV.*

Hæc vitia valde enormia noxiaque sunt. §. V.

Speciatim oriuntur à Tyrannide in conscientiam. §. VI.

Definitur Reverentia DEI. *§. VII.*

Ejusque fundamentum in natura. §. VIII.

Et operibus DEI ostenditur. §. IX.


Unde etiam constat, quod DEUS præ aliis & aliquando solus timendus sit. §. X.

Hinc quoque sequitur, quod reverentia DEI prærequirat notitiam DEI. §. XI.

Quæ vim in corde exerit. §. XII.

Atque in causa est, ut homo

homo os manusq; compescat. §. *XIII.*
Gradus hujus virtutis narrantur quatuor. §. *XIV. XV. XVI. XVII.*
Subjiciturque usus exploratorius. §. *XVIII.*
Virtus hæc omnibus fidelibus competit. §. *XIX.*
Objectioni satisfit. §. *XX.*
Tandem media ac motiva indicantur. §. *XXI. XXII.*



§. I.

QUi *DEUM cognoscit, eum quoque reverebitur.* Reverentia enim Numinis oritur ex cognitione perfectionum divinarum metum omni attendenti incutientium.

II. *Vitia, quæ reverentiæ Numinis adversantur, primo recensenda sunt.* Et sunt. I. *Homines, Magistratus veluti, Parentes, Patronos plus timere quam DEUM: Ex metu hominum omittere aut agere, quod voluntati DEI adversatur.* Quod vitium gravissimum est in iis, qui non ex ignorantia aut præcipitantia sed scienter illud patrant; uti Pharisæi Joh. XII. 42. qui hinc in pœnam sceleris obfirmabantur.

III. II. *DEUM non rectè timere*, quod fit (a) *Ore:* quanquam pauci DEUM rectè timeant, attamen nemo sine reverentia Numinis haberi vult. Hinc profligatæ ne-

quitiæ homo de Reverentia Numinis rogatus respondebit. *Quis DEUM non timebit?* & graviter succensebit dubitanti. Sed *hostes DEI DEO mentiuntur.* Ps. LXVI. 3. (β) *revereri in certis tantùm locis.* Templis veluti, Collegiis, præsentibus Viris auctoritate gravibus, non in sodalitiis, conviviis. Talis reverentia veri Numinis non est. Quæ enim ratio DEUM reverendi in hoc loco, eadem in alio. Non tam timetur DEUS, quam homo, (γ) *revereri certò tantùm tempore.* Tempore veluti, quo tonitrua audiuntur, gravia judicia DEI recensentur. 1. Sam. XII. 18. 1. Reg. XXVII. 27. 21. 22. (δ) *revereri ex sola formidine pœnæ*, uti mancipium herum suum metuit. Hinc si pœna non metuenda esset, nulla quoque reverentia animum occuparet. Talis reverentia maxime Christianos dedecet Rom. VIII. 15. (ε) *Timere DEUM & timore absterreri à DEO.* Gen. III. 8. 10. (ζ) *revereri superstitiosè.* Superstitiosè reverentur DEUM plurimùm illi, qui quidem confuse norunt cultum divinum cum metu peragendum esse, sed qui naturam veri cultûs ignorant, hinc illum constituunt in ritu, actione sacra, aliquando nequidem à DEO præcepta. Quæ reverentia plurimùm nocet vero timori DEI &

non-

nonnunquam, conjuncta cum ingenti odio eorum, qui misso superstitioso cultu vero se dant.

IV. III. *Liberè peccare.* Omnis quidem, qui peccat, DEUM præ oculis non habet, eum non reveretur, sed noto hic *viros peccatores*, qui metu Numinis seposito agunt, quicquid lubet, mentiuntur, comessantur, decipiunt, furantur. Qui cum Pharaone quærunt: *Quis est Jehova?* Aut saltem: *Oblitus est DEUS: occultavit faciem suam: non videt in perpetuum* Ps. X. 11. Quoniam Abraham suspicabatur Gerari non esse *metum Numinis*, metuebat se ob uxorem suam occisum iri. Noverat adeoque nullum non scelus patrari ab iis, qui soluti à timore DEI sunt. Gen. XX. 11. conf. Ps. XXXVI. 2. 3. Rom. III. 18.

V. *Est vero irreverentia DEI maxime enorme vitium.* Pulvis & Cinis præponitur omnipotenti & verè formidabili DEO. Frœnum, quo DEUS homines regit, vi quasi ex manu ejus trahitur, atque janua aperta est ad omnia scelera. Qui enim DEUM irreverenter habet, ille nullum non scelus, quod patrandi occasionem habet, patrabit.

VI. *Habet varias causas: præter eas, quas alibi IN INSPECTIONE SUI IPSIUS* Cap.

XIII. §. 59. *notavi, notanda est authoritas & Tyrannis eorum, qui regno Christi contrariantur.* Significanter id docet Salvator. *Dico vobis amicis meis: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, sed postea nihil ultra facere valent. Ostendam vobis, quem timere debeatis. Timete eum, qui postquam occidit, potestatem habet projiciendi in gehennam. Imò dico vobis, hunc timete* Luc. XII. 4. 5.

VII. *Sequitur ipsum officium sive reverentia Numinis, qua Christianus perspectis tremendis perfectionibus divinis, sanctitate, justitia, omnipotentia, supremo dominio, jugiter tanquam in Oculis DEI cum veneratione versatur, cavet sibi ab omni, quod DEO displicet, agit verò, quod ipsi placet.*

VIII. *Fundamentum hujus officii est ipse DEUS tremendus rectè cognitus* Deut. X. 17. *Nam Jehova est DEUS Deorum, & Dominus Dominorum, ille DEUS, ille magnus, ille fortis* והנורא *& ille tremendus.* Omnes perfectiones mentem attendentem reverentiâ implent. Speciatim *Sanctitas & Justitia:* Illa tantæ puritatis, ut nulla labecula in DEUM cadat nec cum illo conjungi queat ullus peccator. Ps. V. 5 - 9. Hæc homini ad peccandum prono graves minatur pœnas easque infligit Deut. XXVII. Ps. LXXVI. 8.

Rom.

Rom. I. 32. *Crescit hinc reverentia, si homo cogitat*, DEUM adeo sanctum & justum simul omnia scire semperque adesse. Si enim ipsum lateret actio mala, aut latere posset, minus videretur timendus. *Crescit porrò ex consideratione omnipotentiæ*, ad cujus nutum omnia adversantur, corporalia, spiritualia, temporalia, æterna. Ipsa quoque *bonitas* in natura & gratia, quæ aliâs ad DEUM amandum plurimùm valet, *valet* quoque *ad DEUM timendum*. Timendus enim DEUS, ne nobis bona necessaria neget Jer. V. 24. Ps. CXXX. 4. *Denique reverentiam incutit Universale Dominium DEI*, quod tenet in omnes creaturas, Angelos quoque & Reges, qui quanquam timeantur ab inferioribus, timent debentque timere tremendum Numen Es. VI. 2. 3. Ps. II. 2. Dan. V. 5. 6.

IX. *Qualis DEUS in se, talia quoque opera ejus extra eum* adeoque ea expensa pectora nostra timore opplent Ps. LXVI. 3. *quam terribilia sunt opera tua.* Elihu narrat opera DEI & addit; *Ideò timent eum viri* Iob. XXXVII. 24. Narrat speciatim tonitru. *Ob hoc trepidat cor meum* Cap. XXXVII. 1. conf. XXXVI. 33. Maximè terribilia sunt opera DEI extraordinaria, apparitiones in-

 solitæ

folitæ five privatæ, qualis Jacobi. *Timuit ac dicit, quam terribilis hic locus!* Gen. XXVIII. 17. five publicæ, uti illa in νομοθεσίᾳ, totum cœtum tremefaciens. Exod. XX. 18 - 21. ipfum quoque Mofen, Symbolorum divinorum alioquin expertum.

X. *Hæc ipfa porro docent DEUM timendum eſſe præ omni alio, imo folum, ſi aliorum metus ſubordinari nequit.* Matth. X. 28. Nam in quo fundamenta reverentiæ funt, uti in DEO? In nemine. Imò alii etiam maximè formidabiles, coram tremendo DEO vel manum tantum monſtrante toti tremunt. Dan. V. 5. 6.

XI. *Reverentia DEI præſupponit agnitionem memoratarum perfectionum divinarum.* Nam uti ignorantia DEI obeſt aliis officiis, fic quoque præſtando erga DEUM timori. Qui DEUM fanctum, juſtum, omnipotentem, univerfum Dominum ignorat, quomodo eum timeret? quid produceret timorem?

XII. *Agnitio hæc operatur in cor* five perfectiones illæ divinæ cognitæ cor hominis afficiunt, tangunt, movent, regunt. Unde cordi attribuitur. 1. Sam. XII. 24.

XIII. *Quia operatur in Cor, nihil vult, loquitur aut agit homo, quod DEO tremendo adverſatur, & quod timore Numinis ſepoſito malè* voli-

volitum, dictum, factum, cor DEUM timens mox improbat. Vult verò, loquitur & agit, quod ipsi placet. Exemplum sume in subdito coram Principe existente eumque reverente. Unde reverentia DEI causa sanctæ vitæ. Prov. III. 7 Gen. XXXIX. 9. Eph. V. 21.

XIV. *Habet etiam hoc officium gradus suos, quales sunt.* א. *DEUM timere formidine pœnæ & simul ex consideratione sanctæ Naturæ divinæ.* Qui DEUM solum timet ob pœnam & hanc solum ob causam delicta intermittit, ejus timor huc non pertinet. Malus quippe est. *Timor ille purior perfectiorque est, cujus fundamentum sanctitas ac Majestas DEI.* Qui adeoque DEUM timeret, licet nulla hinc pœna timenda esset.

XV. ב. *Quo minor notitia DEI ejusque voluntatis, eo imperfectior ejus reverentia. Quo verò clarior ac efficacior notitia, perfectior quoque reverentia.* Sume duos, quorum unus leges ignorat, novit alter. Quanquam prior alias leges ex reverentia Numinis non sit violaturus, violat facile hanc, quam à DEO datam esse ignorat, sed is, qui eam legem divinam novit, illam quoque timore impellente observat.

XVI. ג. *Timere DEUM atque timore ejus impellente omittere gravius peccatum, aut agere actio-*

actionem pluribus communem. Uti Eleemosynam dare. *Quô perfectioris timor, qui abstrahit etiam ab occultissimis peccatis, iis quaque, quæ carni grata atque favorem conciliarent* Gen. XXXIX. 9. Qui impellit ad agendum voluntatem divinam legibus Regiis contrariam, qualis erat in Daniele ejusque sociis.

XVII. ד. Sacra Scriptura laudat timorem *ex toto corde* 1. Sam. XII. 24. *Unito Corde.* Ps. LXXXVI. 11. *omnibus diebus vitæ.* Deut. IV. 10. Qualis timor alius ab illo, qui provenit ex corde distracto & qui subinde succumbit, quanquam rursum emergat vincatque.

XVIII. *Christianus exploraturus se, an hoc officium præstet: An quoque in illo proficiat, cor actionesque suas externas & internas juxta dicta examinet.*

XIX. *Officium hoc universale est, sive nemo ab illo excipitur. Quis non timeat te, Domine & glorificet nomen tuum, quia solus sanctus.* Apoc. XV. 4. *Omnes fines terræ timeant ipsum* Ps. LXVII. 8. *Timebunt ab occasu nomen Jehovæ & ab ortu solis gloriam ejus.* Jes. LIX. 19. Fideles passim *timentes DEUM* tanquam nomine proprio veniunt Ps. CXV. 11.

Fun-

Fundamentum reverentiæ Numinis, quod in natura DEI consistit, commune est.

XX. *Difficultas hic oritur, quomodo etiam timoris officium competat fidelibus, quandoquidem alibi timorem deponere jubentur.* Gen. XV. 1. Rom. VIII. 15. Actor. XVIII. 9. & amor excludit metum. 1. Joh. IV. 18. atque meticulosi malis annumerantur. Apoc. XX. 8. Solutio ex hoc Capite facilis; nam datur vitiosus & laudabilis, imperfectus & perfectior timor. Qui vitioso laborant, rectè accensentur malis, qui homines plus metuunt quam DEUM. Aut saltem meritò culpantur ii, quorum metus à fiducia promissionibus DEI habenda avocat. Gen. XV. 1. libertatem filialem supprimit Rom. VIII. 15.


XXI. *Media & motiva,* quæ simili occasione alibi dedimus (vide de Inspectione sui ipsius Cap. XIII. §. LXX. LXXIII - LXXVII.) heic præterimus; *Nonnisi observamus*, Hebræos *videre & timere* vocibus affinibus exprimere scil. ראה & ירא. Forsan ideo, quod visus corporis & mentis metum & reverentiam gignat; saltem huc videntur alludere Scriptores Sacri Ps. XL. 4. יראו *videbunt multi* וייראו *& timebunt* Ps. LII. 8. ויראו *& videbunt* justi וייראו *atque timebunt*. Commendamus itaque tanquam medi-

medium timoris divini, *videre* DEUM, ejus perfectiones, virtutes, opera, judicia, Certe nemo, *qui* hæc *videt, non timet.*

XXII. Summam æquitatem & justitiam timendi Numinis porrò tradimus ex metu, quem Magistratibus debemus. Magistratum timemus, quia subditis præfectus est, Multo magis timendus is, qui Magistratum præfecit. Timemus dein ob leges justas, Sed perfectior justitia legibus divinis inest, Timemus porrò quia observat scelera subditorum. Quantò magis timendus DEUS, coram quo omnia aperta sunt, Magistratum latent plurima peccata, veluti quæ intra cor subsistunt, quæ in loco occulto patrantur, quæ inter paucos, quæ nullum delatorem habent. At DEO nota sunt singula hæc. DEUS æquè novit malum, quod quis cogitat, quam facinus mille testibus probatum &c. Timemus porrò Magistratum, quia delinquentibus gravis est, At ira Regis cum Regis Regum assimilari nequit. Illa in gratiam convertitur, si hic non succenset. Nunquam nocet, nisi vult, ut noceat DEUS, Noxa, quam ille infert, bona, famam, corpus, non animam ad breve tempus ferit, sed quam DEUS infert, & bona & famam & corpus & ani-

mam

mam in æternum ferit. Is ipse, qui timendus, tremendum Numen timere debet: Quantò magis timendus Is, qui à timendo cum timentibus timendus est.



CAPUT V.

DE

Amore DEI.

Σύνοψις.

COgnitio DEI, de qua supra, gignit amorem DEI. §. I.

Ubi vero cognitio deficit, deficit quoque amor DEI. §. II.

Vitia, quæ amori DEI opponuntur, sequentia sunt:

I. *DEUM corde non diligere. §. III.*

II. *Gratiam DEI diligere, non justitiam ejus. §. IV.*

III. *Diligere mundum. §. V.*

IV. *Odio habere, idque exerere data occasione erga id, quod DEI est. §. VI.*

V. *Odio habere Christum. §. VII.*

VI. *Directo odio in Deum ferri. §. VIII.*

Vitia hæc gradu quidem variant: Sed facilis est transitus ab uno ad alterum. Igitur primò resistendum. §. IX.

Sequitur ipse DEI amor, qui definitur. §. X.

Subjectum hujus amoris DEUS est & quicquid divinum. §. XI.

DEUS

Media

Media amaturi sunt.
[α] *Obstacula amovere.* §. *XL.*
[β] *Amabilitatem DEI menti suæ sistere* §. *XLI.*
[γ] *Beneficia.* §. *XLII.* *Speciatim.* §. *XLIII. XLIV.*
[δ] *Corporis.* §. *XLV.*
[ε] *Animæ.* §. *XLVI.*
[ζ] *Spiritûs.* §. *XLVII.*
[η] *Sibi peculiaria.* §. *XLVIII.*
[θ] *Tum applicata tum oblata.* §. *XLIX.*
[ι] *Præterita, præsentia ac futura.* §. *L.*
(α') *Aliis communia.* §. *LI.*
(β') *Maximè DEUM ipsum.* §. *LII. LIII.*
(γ') *Amorem Patris & Filii erga nos.* §. *LIV.*
(δ') *Gloriam DEI amandi.* §. *LV.*
(ε') *Commodum damnumque.* §. *LVI.*
(ζ') *Necessitatem.* §. *LVII.*
(η') *Et specialem usum ad veram Theologiam addiscendam.* §. *LVIII.*



§. I.

V*Era DEI notitia plura officia erga DEUM monstrat, commendat, urget, speciatim amorem.* Nam qui DEUM cognoscit, cognoscet illum ut summum bonum: Summum bonum cognitum sui amorem præcipit, accendit. Deut. VI. 4. 5.

II. *Ex adverso, qui DEUM non cognoscit, eum non diligit.* Non diligit, quia non cognoscit. 1. Joh. IV. 8.

III. *Vitia, quæ amori DEI opponuntur, hæc sunt,*

ſunt. I. *DEUM corde non diligere*: Id jam vitioſum eſt non diligere eum, quem ſuper omnia diligere deberes, & in quo fortiſſima diligendi argumenta ſunt, licet directum aliquod odium erga DEUM non ſit.

IV. II. *Diligere DEI gratiam, verbum remiſſionem peccatorum annuntians, beneficia, non verò diligere juſtitiam, ſanctitatem DEI, verbum reſipiſcentiæ & fidei, caſtigationes.* Fundamentum hujus amoris eſt perverſus ſui ipſius amor. DEUS non ſolùm benignus, ſed & juſtus. DEI non ſolum verbum remiſſionis peccatorum eſt, ſed & reſipiſcentiæ &c. Jam DEUS non poteſt diligi, ſi non totus, & in omnibus actionibus diligitur.

V. III. *Diligere mundum, divitias, voluptates, peccato ſervire.* 1.Joh. II. 15. Matth. VI. 24. Jac. IV. 4. Qui enim oppoſitum amat, alterum oppoſitum neceſſariò odiſſe debet. Annon voluptuoſus illum odit, qui vult, mandat, ut appetitum crucifigat, parcè & temperanter vivat? jam verò hæc vult DEUS.

VI. IV. *Faſtidium, odium actu in mente tenere, occaſione data exerere adverſus id, quod DEI eſt*: Veluti adverſus verbum DEI, illud maxime, quod peccatorem redarguit: Adverſus miniſtros DEI pios, qui & ore & exemplo profanam vitam damnant: Adverſus

versus regimen DEI voto suo contrarium. Unde verbum ejus, sancta expositio & applicatio audiri, legi nequit, nisi animo adverso, irato, murmurante. Quia verò fundamentum fastidii, odii divinum quid est, rectè habetur odium adversus DEUM 1. Sam. VIII. 7.

VII. V. *Odio habere Christum* Hebr. VI. 6. *Qui me odio habet, etiam Patrem odio habet.* Joh. XV. 23.

VIII. VI. *Odio in DEUM ipsum directè ferri.* Tale scelus non nisi in profligatissimos nequam cadit, blasphemantes veluti. Vide alia in part. *de Inspectione sui ipsius* cap. XIII. §. 8 - 27. & Cap. XIV. 11. 17. 18.

IX. *Quanquam inter memorata vitia discrimen sit, attamen tenendum est, nullum eorum non vitium esse adeoque fugiendum.* Participat quoque unum de altero, & cum eo conjunctum est. Qui DEUM non diligit, ille mundum diligit. Levius, ut habetur, data occasione facile in gravius abit. Qui amat voluptates atque vi verbi divini, Pastoris ministerio, ab iis abstrahitur, ille actuale odium erga hoc verbum Ministrumque facile concipit, gerit, exerit.

X. *Officium, quod vitiis his opponitur, DEI scilicet amor, est sincerus cordis illuminati affe-*

 ctus,

ctus, quo in DEUM ut perfectissimum & summum bonum tendit, cum illo uniri cupit. Hinc agit, quodcunque unionem promovet ac DEO placet, aversatur verò, quod displicet.

XI. *Objectum est DEUS & omne quod DEI.* Vel an posset DEUS rectè diligi, si quidquam, quod divinum, odio haberetur, vel quod non diligeretur? Amor proximi ejusmodi divisionem admittit: Nam in proximo possunt esse qualitates amore indignæ. Non item in DEO.

XII. *DEUS, qui diligitur, in genere occurrit ut Jehova.* Deut. VI. 5. *ens perfectissimum.* Jam quod nostrum amorem accendit, est perfectio, quæ amato inest. Quodcunque amamus, amamus propter perfectionem vel revera talem, vel saltem apparenter. DEO verò omnis cogitabilis perfectio inest; Sapientia, sanctitas, justitia, potentia, æternitas &c. in summo gradu.

XIII. *In specie ut ens perfectissimum perfectiones suas in usum creaturarum impendens.* Omnes enim memoratæ perfectiones creaturis utiles sunt. Quia æternus, DEUS nullum finem habebit, nosque in æternum conservare potest: Quia omniscius, nihil ipsum latet, novit defectiones nostras: Quia omnipotens, valet defectum supplere:

Quia

Quia benignus, vult nobis benefacere &c. Si unica perfectio DEO nostro deesset, de salute aut saltem parte salutis nostræ actum esset, decederetque summæ amabilitati. Veluti si non omnia nosset aut posset &c.

XIV. *Etiam illæ perfectiones in DEO, quæ primo intuitu nobis amabiles non videntur, amabiles sunt: imò habent illæ præ reliquis, quod in præsenti hominum statu amore dignum est.* Unde cœcitati nostræ attribuendum, quod amabilitatem non cernamus. Sunt autem veluti justitia, quæ in malum animadvertit, sanctitas, quæ sceleratum à DEO separat, verbum crucis, purificationis &c. sine his DEUS ut amabilis concipi nequit: concipiendus alioquin ut lux atris enebris mixta, asylum hominum sceleraorum &c. Hæ dein perfectiones & moent & terrent ad sanctè (sanctitas verò graissima pulchritudo est) vivendum. Verum crucis est turpi peccatori, quod negma vesti sordidæ, castigatio verò, quod ianus lotricis. Amanda ergò, quæ adeo iagnum usum nobis præstant, quæque ab nore proficiscuntur. Hebr. XII. 6. 10.

XV. *Specialissimè occurrit, ut mihi, tibi &c. ns omnis boni, liberando ex malo, imper-ndo bonum.* ארחמך *ex visceribus amabo*

 te,

te, Jehova robur meum, Jehova petra mea & arx mea & liberator meus, DEUS meus, rupes mea, ad quam confugiam, scutum meum & cornu salutis meæ, exaltatio mea. Pſ. XVIII. 2. 3. Talis vero maximè in Chriſto manifeſtatus eſt. Unde etiam DEUS in Chriſto maximè amabilis in Evangelio proponitur. 1. Joh. IV. 9. 10. Luc. II. 10.

XVI. *Objectum hoc amorem ſui non accendit niſi cognitum.* Ignoti non eſt, nec eſſe poteſt cupido. Quo verò magis cognitum, tanto magis amorem incendit.

XVII. *Amorem erga DEUM curatius cognituri obſervamus ipſum comprehendere* (a) *inclinationem animi. Dein* (b) *ſtudium averſandi id omne, quod DEO diſplicet, agendi verò, quod placet. Unde ſequitur* (c) *amantis cum amato unio gratumque* (d) *oblectamentum.*

XVIII. (a) *Qui DEUM amat, ille corde ſuo in eum propendet.* Omni amori vis magnetica ineſt. Bonum ſummum igitur amantem ad ſe trahit. Nam amans cogitat de DEO, cogitans invenit, DEO ſummam perfectionem, pulchritudinem ac bonitatem ineſſe, perfectionem hanc & bonitatem eſſe unicum fundamentum exiſtentiæ & felicitatis propriæ, ut & aliarum quarumvis creaturarum. Unde propenſio, niſus, deſiderium

rium, fames, sitis erga DEUM oritur. Igitur amor DEI καρδία 1. Tim. I. 5. לב *menti* intelligenti, judicanti, נפש volenti, desideranti Deut. VI. 5. attribuitur. Eodem tendit, quod exprimatur vocibus רחם *ex visceribus diligere*. Ps. XVIII. 2. *viscera commoveri*. Cant. V. 4. conf. Ps. XLII. 2. 3. LXIII. 2. 3. 4. 9. Es. XXVI. 9.

XIX. *(b) Amans, qui in DEUM propendet, aversatur id, quod amato displicere novit.* In nullo sincero amore, nedum divino, una consistere queunt propensio erga amatum & indifferens animus, ubi amatum læditur, ad iram provocatur, fastidium concipit. Igitur amator odit peccata ante acta DEO adeo invisa 2. Cor. VII. 10. Luc. VII. 47. Cavet sibi à novis, quæ unionem cum amato intercipiunt. Rejicit aut flocci habet quodcunque aliàs magni æstimatum, si amorem DEI & JESU Christi impedit. Luc. XIV. 26. Phil. III. 8. Aversatur autem non solùm propria, sed & proximi, quæ amato suo adversa, qualia sunt: Si DEUS & voluntas ejus ignoratur, vilipenditur; Si DEI, cultûs & verbi divini sine reverentia & inter jocum mentio fit Ps. CXIX. 136. 139.

XX. *Amans agit quoque id, quod DEO placet. Si quis me diligit, sermonem meum servabit.*

bit. Joh. XIV. 23. 1. Joh. V. 3. Omne igitur, quod DEUS præcipit, agit; idque agit, quia DEUS præcipit, & quidem animo lubenti. Quæ ex metu agimus, tristes agimus; Quæ vero amore impellente, læti ac hilares. Unde quam habemus occasionem DEUM glorificandi, eam arripimus, atque gaudemus ubicunque & à quocunque amabilis DEUS colitur, honoratur.

XXI. *Qui DEUM amat, ille, ubi circumstantiæ poscunt, ab amore DEI nullis incommodis & passionibus se abstrahi patitur.* Damna illa varia esse possunt: opum veluti, famæ, patrocinii, dignitatis, vitæ Rom. VIII. 35 - f. Hæc in censum non veniunt cum summo bono.

XXII. *(c) Qui ita in DEUM propendet, & ex animo malum omittit, rectum facit, ille cum DEO amato suo unitus est.* Joh. 14. 23. *Si quis me diligit, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, ac veniemus ad eum & mansionem apud ipsum faciemus.* conf. 1. Joh. IV. 16. Cant. VIII. 6. Ps. LXIII. 9. Nec potest DEUS, qui ipsa charitas est aliter, quàm se cum genuinis amatoribus conjungere.

XXIII. *(d) Ex hac vero unione amantis cum amato maximum gaudium ac jubilus profluit.* Quæ enim gaudium excitare valent, ea possi-

poſſidet cum DEO unitus, & poſſidebit in omne ævum. Non habet quod timeat verum aliquod malum. Hinc perfecto gaudio perfuſus eſt amator DEI. Quod enim DEUS eſt, id amanti eſt mare inexhauſtum omnium beneficiorum, temporalium, ſpiritualium, æternorum. *Exultabo & lætabor in bonitate tua.* Pſ. XXXI. 8.

XXIV. *Hic verò DEI amor ſi genuinus, omnem alium amorem ſuperare debet.* DEUS *enim diligendus ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus* Deut. VI. 5. quomodo nullibi ullius hominis amor nobis præcipitur. Moſes & Chriſtus officium hoc ut primum & maximum proponunt, atque ita docent, ante & ſupra DEUM nihil diligi debere. l. c. & Matth. XXII. 37. 38. In quo validiſſimæ & plurimæ amandi rationes, ille ſuper reliqua omnia amandus. Hæ verò ſunt in DEO: Summus amor & ſumma obedientia conjunctiſſima ſunt. Jam hanc DEO debeo. Ergò & iſtam. Injuſtum eſt ſervum diligere ut herum.

XXV. *Quanquam ſummus amor DEO debeatur, attamen ille incrementi capax eſt.* Docet id *experientia: Docet Scriptura*; ἡ τελεία ἀγάπη *perfectus amor metum expellit.* 1. Joh. IV. 18. Phil. I. 9. *Docet rei natura.* Nam

primò crescit notitia perfectionum divinarum. Crescit ergo etiam amor DEI. Quò enim DEUS plus amabilis cognoscitur, eò plus diligitur. Augetur *dein* & crescit amor DEI erga nos ejusque beneficentia. Hinc noster erga DEUM.

XXVI. *Clarius gradus quidam amoris erga DEUM notandi sunt.* Tales. א. Quando quidem cor in DEUM ut summum bonum sincerè tendit, attamen tendentia paululùm infirma est. Cogitata & desideria alia menti obrepunt, quæ DEUM amabilem minus respiciunt. In aliis tendentia enixior, & alia cogitata ac desideria quàm divina aut saltem propter DEUM haud placent. Tali animæ accidit quod sponsæ, quæ unicè de sponso cogitat, cum appetit, de eo loquitur. Alii discursus displacent.

XXVII. ב. *Amor cum metu conjunctus, aut ab eo liber. Ille*: quando quidem integrum propositum studiumque est DEUM amandi, atque etiam rebus secundis externa amoris divini testimonia dantur; at, gliscente periculo jacturæ bonorum, famæ, oritur metus, unde affectus, qui extus prodibat, intrà præcordia colligitur. *Hic* omnem metum expellit. Ab amore DEI nulla repagula, nullum præmium, nullæ minæ, nulla vis exter-

externa, ne quidem mors, abſtrahere valent. Quin potius, quod oleum igni, id flagranti amori eſt perſecutio. 1. Joh. IV. 8. Cant. VIII. 6. 7. Actor. XXI. 13. Rom. VIII. 35 - ſ.

XXVIII. ל. *Quò magis amor efficax eſt in averſando, quod DEO diſplicet, agendo, quod placet, eò altioris gradûs.* Ille, qui verè conſtituit hoc illudve agere, aut omittere, impellente amore DEI: Aut etiam, qui plura amoris divini impulſu agit, alia eaque graviora omittit, ejus amor imperfectus eſt. Sed qui ſervat ſermonem JESU Chriſti, quem præſcripſit, non tantùm unam alteramve partem, in hoc amor DEI verè τετελείωται *conſummatus eſt* 1. Joh. II. 5.

XXIX. ד. *Amatur DEUS x intuitu præmii: Amatur quoque non habito ad præmium reſpectu, nonniſi quia Jehova ens perfectiſſimum, amore adeoque digniſſimum eſt.* Ille amor minor, hic major eſt.

XXX. *DEUS condeſcendens ad ſtatum noſtrum accenſurus amorem erga ſe, atque hac ratione mundi extincturus, ſe ſummè amabilem in Sacris & Natura ſiſtit.* Hinc qui DEUM ut beneficum amat, rectè amat. Aliàs enim DEUS ſe talem amandum non ſtitiſſet. Imò prohibuiſſet, quod verò nullibi factum. Idem probant probata

ama-

amatorum exempla: Uti Abrahami *amici DEI.* Jac. II. 23. conf. II. Chron. XX. 7. qui tamen præmium respexit Gen. XV. 1. 2. 3. Davidis Ps. XVIII. 2. 3.

XXXI. *Et quidem pro vario amantium statu, eos variis beneficiis ad amorem allicit DEUS.* Primò beneficiis naturalibus, quæ videntur & gustantur, docentque quàm amabilis Deus sit. Tum beneficiis Spiritualibus, quæ diversorum graduum sunt. Ita per gradus beneficiorum ad gradus officii ducit Deus. Ex summis est in cruce amorem Dei quærere, & eum propterea intentius amare.

XXXII. *Ille tamen DEI amor genuinus habendus non est, qui unicè propter beneficia DEUM amat,* nec amat beneficiis destitutus, privatus. DEUS semper diligendus est, etiam tum, si in nos animadvertit, aliàs homo non DEUM amat, sed se.

XXXIII. *Amorem, qui gratiam DEI intuetur, superat amor purus, qui DEUM ut DEUM in se & propter se fervidè amat.* Nec amans propriè utilitatis rationem habet, sed unicè cupit, ut DEI nomen glorificetur, destruaturque quod ei adversatur. Sed hic amor heroicus est, & nonnisi in perfectioribus flagrat,

flagrat, qualis amor proximi in Mose Exod. XXXII. 32. Paulo Rom. IX. 3.

XXXIV. *Nec putandum est talem amorem sine præmio esse posse, quanquam exeratur sine intuitu præmii.* Si DEUS minorem amoris gradum remuneratur, quare non majorem? Actus, qui unicè DEUM & ejus gloriam respicit, gratior est, quam qui duplicem respectum habet. Nec dubitat de gratia DEI, qui ipsum puro amore complectitur. Talis enim jam dudum DEUM ut cornu salutis suæ agnovit, dilexit, nec talem esse nunc negat, aut ignorat, licet amans eò non respiciat.

XXXV. *Habet hic amor præ antecedente firmitatem ac fundamentum.* Qui enim DEUM amans beneficia respicit, is facilius ab amore abstrahitur. Uti amor sponsi firmior constantiorque est, qui sponsam quatenus sponsam suam diligit, non quatenus dives aut pulchra est. Perdit enim sponsus de amore suo, si sponsa pulchritudinem aut divitias amittit. Sic qui DEUM amat ceu dantem sanitatem, pacem, gratum sui gustum in mente, quid faciet ægrotus, bello implicitus, mente afflictus? Qui verò non attendit ad beneficia, amabit DEUM in quocunque statu, prospero aut adverso.

Nihil

Nihil ipſum ab amore DEI abſtrahere poteſt.

XXXVI. *Unde noſtrum de amore ſpei, ut vocant, & puro, judicium conſtat:* ſcilicet hunc illum gradu ſuperare conſtantioremque eſſe.

XXXVII. *Unde etiam conſtat noſtrum eſſe ad perfectiſſimum gradum contendere.* Meretur id DEUS, qui etiam nos propter nos diligit. Hic dein amor conſtantior eſt. Nec habet κόλασιν 1. Joh. IV. 18.

XXXVIII. *Amor DEI, qui homini ineſt, non ſemper idem.* Qui enim recte ſe habet, ad ulteriorem gradum aſſurgit. DEUM, quem amator primum dilexit ut ſibi bonum, mox etiam diligit ut aliis benignum. Quem in ſtatu proſpero, eum etiam in adverſo, ceu in quo non minus benignus eſt, ac in proſpero. Quem ut benignum, eum ut perfectiſſimum. Fit dein, ut qui flagrans amor cœleſti igne incenſus nunc ſentitur, alio tempore quaſi extinctus ſit. Cujus rei cauſa vel ipſe homo vel DEUS. *Ille:* quando ſe ab amore DEI ad amorem creaturæ convertit peccavitque Pſ. LI. 10. Apoc. II. 4. *Hic* edocturus amatores ſuos amorem pretioſum & divinum donum eſſe. Deſiderium quoque excitaturus, aucturus ſub-

ſubtrahit amoris ſenſum. Amor enim, qui quæritur, amorem accendit. Cant. V.

XXXIX. *Is, qui ſcire cupit, num DEUM diligat, attendat, an eum animum & affectum erga DEUM habeat, quem erga objecta ſibi grata habet? An frequens de DEO cogitatio? An tendentia & propenſio erga DEUM? An ipſi in omnibus placere ſtudeat? An proximum integrè diligat?* 1. Joh. IV. 20. 21. Si hæc & ſimilia penes ſe reperit, quanquàm pro tempore ſolatium, gaudium, oblectamentum ex ſummo, quod amat, bono non teneat, de amore DEI nullatenus dubitet.

XL. *Amaturus DEUM prudenter facit, ſi obſtacula amoris divini, præjudiciaque ſollicitè notat, vitatque.* Accidit alioquin, ut dum opinatur ſe DEUM diligere, tandem deceptus experiatur, ſe eum non dilexiſſe: Aut quando conatur in amore DEI accreſcere, impeditus accreſcere nequeat. Talia obſtacula & præjudicia ſunt. I. De amore DEI cogitare, loqui, eſſe DEUM diligere. II. Quandam inclinationem erga DEUM penes ſe ſentire, & eum mox pro recto amore Numinis habere. III. Poſſe DEUM diligi & ſimul mundum, divitias, dignitatem &c. IV. Amorem in corde conſiſtere, adeoque ſigna externa non requiri. V.

Eroga-

Erogationem eleemoſynarum ſufficiens amoris divini teſtimonium perhibere.

XLI. *Amaturus dein amabilitatem DEI menti ſuæ proponat* Si quis DEUM amabilem non cognoſcit, aut rarius de eo cogitat, non mirum, illum DEUM non diligere. Nam amabilitas rei cognita demum amorem excitat.

XLII. *Omnia quidem, quæ in DEO ſunt, & ex DEO fluunt, maximè amabilia ſunt, imò quæ in DEO, amabiliora, quàm quæ ex eo in nos redundant, attamen ratione ad præſentem ſtatum noſtrum habitâ beneficia, quæ DEUS nobis confert, primò amabilia nobis videntur, de quibus hinc primo dicemus.*

XLIII. *Beneficia hæc conſiderari poſſunt vel in nos ipſos collata, vel in alias creaturas.*

XLIV. *Beneficia, quæ in nos collata, vel ſpectant corpus vel animam, vel ſpiritum.*

XLV. *Quæ corpus ſpectant ſunt, (a) ejus formatio & productio in lucem:* Ante paucos annos nihil quidquam eramus. Manſiſſemusque nihil, niſi aliter gratiæ divinæ viſum. DEUS dedit nobis corpus & quidem humanum, non beſtiæ. Formavit illud mirè in utero materno, inſtruxitque ſenſibus ac membris, atque produxit in hanc lucem. (*b*) Conſervatio & gubernatio. Corpus jam dudum in

in nihilum recidiſſet, niſi DEUS illud potenter conſervaſſet & rexiſſet. Variè enim indigum eſt, & periculis plurimis externis ac internis expoſitum. Itaque DEUS potentiâ ſuâ fragile hoc vas continet *ſuppeditatque* neceſſaria, ſcil. *cibum*, bonum, varium, divitem, ad guſtandum quàm ſuavis Dominus ſit: Et quidem alium nullâ operâ noſtrâ intercedente, niſi ut illum in uſum noſtrum optimè paratum ductumque ad nos cum gratiarum actione capiamus; Alium verò intercurrente operâ noſtrâ, ne, maximè poſt peccatum, otioſi his in terris exiſtamus, exitiumque noſtrum augeamus: Dein *potum*, neceſſarium cibi ad corporis ſuſtentationem comitem, qui itidem varius eſt. Com̃unis, aquam intelligo, tanta copia in plerisque locis ſcaturit, ut ſine pretio & labore hauriri queat. Cibo verò & potui Clementiſſimum Numen ita benedicit, ut, quod per ſe corpori noſtro potius onus eſſet ac dolorem adferret, divina benedictione vires conſervet, confortet, augeatque: Etiam *amictum* ad aëris injurias arcendum: Denique *domicilium*. Paucis dicam: DEUS in commodum & neceſſitatem corporum noſtrorum terram, mare, aërem, cœlum & quæ in iis, nobis donavit. Ipſe enim ceu Spiritus iis non indiget.

XLVI. *Magna quidem hæc in corpus collata beneficia ſunt: Majora tamen in animam.* Illa quodammodo nobis cum beſtiis communia ſunt. Non item hæc. Immerito Numinis amori debemus animam noſtram rationalem, intelligentem, volentem, quâ in beſtias dominamur, nobis proſpicimus, mala avertimus, jura ſocietatis condimus, tenemus, ac capaces ſumus bonorum ſpiritualium. Quantum beneficium ſit, illi nos docent, qui animæ uſu non pollent.

XLVII. *His adhuc majora ſunt beneficia ſpiritualia. Tum externa, tum interna. Illa* ſunt verbûm Evangelii, ejus præconium, Sacramentorum adminiſtratio, exempla piorum. Hæc, quanquàm externa bona, præclara tamen bona ſunt, ceu quæ aditum faciunt ad interna, ſunt media ordinaria internorum conſequendorum. Præſtantia maximè exinde cognoſcitur, ſi conferimus loca, homines, quibus bona hæc vel omnia, vel quædam deſunt, cum iis, qui his abundant. *Hæc*, qualia Spiritus S. Lux & Lex interna, tentatio, crucifixio, mortificatio, ſepultura veteris hominis, vivificatio novi, fides, charitas, ſanctitas, gaudium, tranquillitas, conſtantia, uno verbo *divina Natura*, quæ omnium maxima & pretioſiſſima continet beneficia. 2. Petr. I. 4. XLVIII.

XLVIII. *Unusquisque amorem erga DEUM tantò magis excitaturus expendat, quæ sibi præ multis aliis peculiaria sunt aut donata in majori gradu.* Uti sunt *quoad corporalia*, fida Parentum cura, sanitas, pax, nullus defectus cibi, potûs &c. *Quoad naturalia:* acumen judicii, felicitas ingenii, memoriæ firmitas &c. *Quoad spiritualia:* Sapiens, prudens, pia, fida in Evangelio institutio, educatio. Operatio Spiritûs S. in tenera ætate &c. Huc etiam facit genus vitæ, quorum unum altero felicius, quale speciatim Ecclesiasticum est, si aliàs rectè ducitur 1.Tim.III. 1-13.

XLIX. *Beneficia alia applicata, alia oblata sunt.* Huc pertinent bona spiritualia externè & internè nobis oblata, sed à nobis neglecta aut rejecta, quæ itaque tantò magis ad amorem DEI nos excitare debent, quia, si DEUS pro merito nobiscum egisset, indigni novis fuissemus.

L. *Beneficia præterita, præsentia, & futura consideranda sunt. Illa*, quæ ab initio vitæ usque ad præsentem horam nobis data. Unoquolibet momento plura, præstantia, necessaria bona in nos conferuntur. Quantus igitur beneficiorum cumulus per tot dies, septimanas, menses, annos accrevit? Ingentis stultitiæ nota est, solitarium aliquod

beneficium in recenti memoria tenere, non verò juge, concatenatum, quod ut unda undam trudit, ſemper novum poſt ſe trahit, id quod tamen cœcis hominibus haud rarò obtingit. *Iſta*: amandus quidem DEUS, qui nobis præterito vitæ noſtræ tempore benefecit. At miſeri eſſemus, ſi non pergeret benefacere. Verùm DEUS fons eſt, etiamnum largè in nos effluens, *dans vitam, halitum & omnia. Hac:* Ad felicitatem noſtram nondum ſufficiunt præterita & præſentia beneficia. Requiruntur inſuper futura in æternum duratura. Etiam hæc ritè amantibus DEUM deſtinata ſunt. Imò hæc prioribus quoad corpus, animam & ſpiritum longè perfectiora futura ſunt. Imperfectio enim & moleſtia, afflictio, quæ illis admixta, auferetur; bona erunt perfectè bona, quæ totum hominem ſummè recreabunt, oblectabuntque. 1. Cor. II. 9. 1. Tim. IV. 8. Jac. I. 12.

LI. *Beneficiorum, quæ quisque abs DEO accepit, penſitationi adjungat conſiderationem beneficiorum in parentes, liberos, conſanguineos, ejusdem fidei ſocios, concives, quemlibet proximum transfuſorum.* Quantus abyſſus beneficiorum! Mea ob numerum, præſtantiam, neceſſitatem, omnem captum longè ſuperant.

rant. Quando verò cogito multas myriades hominum exiſtere, longè plures exſtitiſſe, atque omnes, nullo excepto, quicquid boni habuerunt, habuêre ex DEO, certe animus admiratione, imò ſtupore plenus ſit oportet. O ſummè amabile ens! *Quam pretioſa eſt bonitas tua, ô DEUS, filii Adam ſub umbra alarum tuarum confugiunt. Inebriabuntur pinguedine domûs tuæ, & potabis illos torrente voluptatum tuarum.* Pſ. XXXVI. 8. 9.

LII. Nondum hic ſubſiſtendum: nonniſi rivulos hactenus vidimus. *Ipſum mare, ex quo rivi profluunt, quantum licet, adeundum ac contemplandum eſt.* Cum Jehova ſit מקור חיים *fons vitarum.* Pſ. XXXVI. 10. in quo incomprehenſibili divina virtute omnia bona corporis, animæ, ſpiritûs originariò ſcaturiunt, quàm dives ſcaturigo ſit, magis ex fluviis profluentibus, quàm ex profundiſſima abyſſo divitiarum, quæ in DEO, cognoſcenda. Maris vaſtitatem, profunditatem, ſcaturiginem nemo hominum aſſequitur, ita, & multo minus DEUM ceu fontem vitarum. Aliquid cognoſcimus, ſi attendimus ad myriades angelorum, ad multas myriades hominum, qui nunc exiſtunt, qui exſtiterunt, & qui omnes etiam-

num quoad animam existunt. Si porrò ad altissimos cœlos, & in cœlis innumeras stellas, totque alia omnem numerum superantia φαινόμενα. Si insuper ad vastissimum mare ejusque stupendæ magnitudinis incolas: Si præterea ad longissimam terram & quæ in ea sunt, bestias, arbores, lapides &c. Si denique ad imperscrutabilem profunditatem locorum inferorum, quæque in iis continentur. Si, dico, attendimus ad hæc omnia, quod nullum propria virtute existere inceperit, aut existere pergat, quod omnia existentiam, conservationem, gubernationem, singula bona ex hoc bonitatis fonte derivata habeant, quod etiam unicus homo tot ac tanta beneficia ex hoc mari acceperit, ad quæ enarranda prorsus inidoneus est, attoniti stabimus, exclamabimusque: ô quàm incomprehensibilis ipse fons bonitatis divinæ est, si rivorum unusquisque, quorum numerum nemo inire potest, nobis vastum mare dimensionis accuratæ expers videtur! Nec tamen fons hic exarescit aut diminuitur; superabundat semper. Quanquàm indies nova conceptacula formentur, nova hæc non minus ac vetera bonitate divina implentur. Et licet divina hæc scaturigo identidem in corpora

ac mentes influat, influentem non vides, vides autem influentis effectus. Ad amabilitatem hujus fontis etiam facit, quod sine pretio, sine ὀνειδισμῶ, quodcunque bonum creatura rectè petit, quodque ad ejus veram felicitatem pertinet, largiatur. Et quam amabilis illuminatis animabus erit DEUS, quæ non solum DEUM in se & effectivè bonum, sed simul æternum, independentem, immutabilem, sapientem, sanctum, justum, omnipotentem (quæ omnes perfectiones bonitatem DEI perfectiorem & ita amabiliorem nobis proponunt) cognoscent.

LIII. Lapis & ferrum aut si quid durius oportet sit, qui DEUM summè amabilem in se, in beneficiis considerat, nec eum amat. Amamus eos, qui nobis levidense bonum donarunt. Quantò magis ergo DEUS amandus, à quo omnia bona: Sine quo æternum nihilum mansissemus, & jam existentes in æternum nihilum recideremus: Sine cujus amore vita nostra perpetuus cruciatus existeret.

LIV. *Amaturus speciatim summum illum Patris & Filii amorem, quo ille filium unigenitum, hic verò seipsum ex amore generis humani tradidit, perpendat. In hôc manifestata est charitas DEI in nobis, quod DEUS filium suum uni-*

unigenitum in mundum miserit, ut per illum viveremus. 1. Joh. IV, 9. conf. 10. *DEUS charitatem suam erga nos commendat, quod Christus nobis adhuc peccatoribus existentibus pro nobis mortuus sit.* Rom. V. 8. conf. Joh. III. 16. Rom. VIII. 32. 1. Joh. III. 16. Major amor cogitari nequit, quam si quis pro alio moritur Joh. XV. 13. Perpende igitur, quis ille, qui nos primò diligit, Pater & filius gloriæ. Perpende dein, quo tenerrimo amore uterque diligat. Ille filium in mortem dat, hic amore impellente gloriam suam occultat, homo, & quidem pauper, abjectus, contemtus, conviciis plenus fit, in corpore & animâ duros cruciatus perfert, mortemque maledictam subit. Perpende insuper, quinam nos, qui tantopere diligimur. Peccatores, filii iræ, non amore, sed irâ digni. Perpende denique, quantum ex hoc amore in nos beneficium redundet. Omnigena felicitas & gaudium. Aut amabis perpendens. Aut non amans non perpendisti. Nec quidquam aliud vult adeo amabilis DEUS, quam ut ipsum redamemus.

LV. *Et quando ad amorem excitandum multum facit objectum excellens, magnificum, summa DEI Majestas & excellentia consideranda est,*

est. Omnes valdè propendemus ad amandum potentes, divites, ſapientes, modò amor noſter iis placeat exciteтque mutuum aliquem affectum: Jam verò potentia, ſapientia aut alia perfectio, quæ in hominibus, comparata cum divina infirmitas, ſtultitia, imperfectio eſt. Certi eſſe poſſumus, quod quicunque ſumus ex infimis ſubſelliis hominum, ſummo DEO placeamus amantes eum. Quando verò DEUM amamus, ille nos redamat. Habemur, atque etiam ſumus familiariter cum DEO conjuncti, nam ubi mutuus amor, ibi familiaritas. Si verò in familiaritate DEI vivimus, tum præter maxima commoda, ſummus quoque honor nobis obtingit.

LVI. *Uti verò in DEUM amantes varia utilitas ac maximus honor redundat. Sic ex adverſo illos, qui ipſum non diligunt, nullum non damnum atque ignominia manet. Si quis Dominum JESUM Chriſtum non diligit, eſto Anathema: Dominus venit.* 1. Cor. XVI. 22. Qui DEUM non diligit, ille mundum, carnem, homines, voluptuoſos, potentes diligit, ſed quam periturum commodum ex his in amantem! Imò quam incommodum commodum! Moriuntur amici, vel etiam mutantur in hoſtes, Caro morbis,

imò morte afficitur. Mundus perit cum concupiſcentiis ſuis. Ubi tum bonum, quod amabatur? Qui DEUM non diligit, ille DEUM odio habet. Qui verò DEUM odio habet, ille pœnas dabit propter omnia beneficia corporis, animæ, Spiritûs, applicata & oblata. Beneficia hæc mutantur in ignem devorantem Exod. XX. 5. Nova beneficia, elapſo, quod amori divino deſtinatum erat, tempore, non conferentur. Extra cœlum erit *omnis qui amat & facit mendacium.* Apoc. XXII. 15. adeoque qui DEUM non amat.

LVII. ***Amor DEI non ſolùm æquus, ſalutaris, ſed etiam neceſſarius ceu lege divina toties atque acriter ſine exceptione ſtatûs, ſexûs, ætatis, temporis præceptus.*** Deut. VI. 5 - 10. Matth. XXII. 36 - 41. Hinc conſtat, quod amor DEI præceptum primum, maximum, centrum aliorum præceptorum. Unde qui DEUM non amat, ille aliud nullum officium ſaltem ritè præſtare poteſt, nam amor DEI eſt primum præceptum. Ab amore DEI, ut & proximi, dependent alia omnia, quæ in Moſe, Prophetis imò & in Evangelio exſtant. Qui verè DEUM amat, ille reliqua quoque officia erga DEUM præſtabit, nam ab hoc dependent reliqua. Ille DEO

& qui-

& quidem cum facilitate, lubentia confidet, reverentiam testabitur, obediet, preces ad DEUM fundet, glorificabit DEUM in tota vita sua.

LVIII. *Denique amor DEI optimum tutissimumque medium est summam perfectissimamque Theologiam addiscendi* 1. Cor. II. 7 - 10. Nam sapientia ἐν τοῖς τελείοις, quæ non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui abrogandi, *Sapientia DEI in Mysterio occulta, quam nullus principum hujus seculi novit, quæ non videtur, nec auditur, nec ascendit in cor hominis, præparata est à DEO iis* τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, *qui diligunt eum*, quæque illis per Spiritum DEI revelatur. Nemo, nequidem apostolus, hanc sapientiam quempiam edocere potest, sed nonnisi Spiritus DEI. Qui ergo veram hanc Theologiam discere cupit, amet DEUM. Laicus, qui DEUM amat, majorem in vera Theologia notitiam habet, quam nullus Clericus, qui absque amore DEI est. Consule quoque Lib. *de Inspectione sui ipsius* Cap. XIV. §. I - XXXVI.



CAPUT

CAPUT VI.

De

Spe, Fide & Fiducia.

Σύνοψις.

EX notitia ac amore DEI fluit, spes, fides ac fiducia in DEUM. §. *I.*

De quibus conjunctim agemus. §. *II.*

Vitia opposita sunt.

1. *Confidere sibi.* §. *III.*
2. *Confidere aliis.* §. *IV.*
3. *Confidere DEO & Proximo.* §. *V.*
4. *Confidere DEO, ubi non confidendum.* §. *VI.*
5. *DEO diffidere, quod variè fit.* §. *VII - XI.*

Hinc elucet plures esse falsæ fiduciæ diffidentiæque species ac gradus. §. *XI.*

Vitia hæc valde communia sunt. §. *XII.*

Sequitur fiducia. §. *XIII.*

Ejus fundamentum, quod solus DEUS. §. *XIV. XV.*

Et quidem ceu reconciliatus per JESUM Christum. ꝟ. *XVI.*

Cui omni tempore, maximè adverso & in omnibus confidendum est. §. *XVII.*

Veræ fiduciæ characteres. §. *XVIII.*

Et diversi gradus producuntur. §. *XIX.*

Nostrum est jugiter ad altiores contendere. §. *XX.*

Media sunt.

(a) *Exactior notitia Providentiæ divinæ.* §. *XXI.*

(b) *Naturæ* (c) *Scripturæ* (d) *singularium exemplorum*

plorum ac (e) *sui ipsius.* §. *XXII.*	*Adduntur motiva, quæ sunt.*
(f) *Recta precatio.* §. *XXIII.*	א *Voluntas divina.* §. *XXX.*
(g) *Cuncta præmeditatè agere.* §. *XXIV.*	ב *Natura dein divina.* §. *XXXI.*
Obstacula proponuntur. §. *XXV.*	ג *Status noster.* §. *XXXII.*
Quæ tolluntur. §. *XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX.*	ד *Commodũ.* §. *XXXIII.*
	ה *Damnum.* §. *XXXIV.*
	Fiducia in DEUM maximè incumbit statui politico ac Ecclesiastico.

************:*:**********:*

§. I.

Q*Ui DEUM novit, amat, ei quoque confidit speratque omnia, quæ promisit, impletum iri.* Et certissimum est, quod omnis, qui DEO non confidit, vivitque sine spe, etiam DEUM neque amet aut cognoscat. Ps. IX. 11. XVIII. 2. 3. Eph. II. 12.

II. *Conjunctim hoc capite agemus de spe, fide, fiducia.* Sunt enim officia in natura sua conjunctissima. Fiducia spem involvit. Unde LXX. בטח *confidere* etiam transferunt ἐλπίζειν, *sperare.* Et spes, quatenus ponitur in DEUM & promissa divina, fiducialis esse debet. Ps. XXXVII. 9. 1. Cor. XV. 19. 1. Tim. V. 5. Hebr. III. 6.

III. *More*

III. *More nostro primo de vitiis, quæ spei & fiduciæ opposita sunt. Sunt autem hæc.* I. *Confidere sibi*, ingenio, viribus corporis, opibus suis. Quod vitium omnibus quidem innatum, exerit tamen se in illis notabilius, qui scientiâ, robore, divitiis præ aliis pollent, qui hinc turgidi DEO non acceptum ferunt, quod ab illo acceperunt. Unde est, quod literatos sapientiæ, robustos viribus, divites opibus confidere observes. Habes exempla in Philosophis Actor. XVII. 18. Goliath. 1. Sam. XVII. 4-11. 42. 43. Nebucadnezare. Dan. IV. 27. 28. Sed prudenter monet Salomo, *Prudentiæ tuæ ne innitaris*. Prov. III. 5. 7. Jer. IX. 27. 22. 23. Unde recto DEI judicio falsæ fiduciæ materia existit causa judicii.

IV. II. *Confidere proximo, veluti potentibus, Parentibus, Patronis, Medicis, Professoribus, Pastoribus. &c.* Hi omnes ipsi impotentes sunt & indigent eo, cui innitantur. Ne quidem sibi protectionem, sanitatem, sapientiam, sanctitatem, gaudium in DEO, dare possunt, multo minus aliis. Ps. CXLVI. 3. 4. CXVIII. 8. 9. Jer. XVII. 5. Vera beneficia, protectio, sanitas, sapientia, sanctitas, animus tranquillus, sunt bona in solius DEI manu.

V. III.

V. III. *Confidere DEO & proximo.* Nonnulli, qui peccatum habent, sibi & proximo confidere, attamen opinantur Deo & proximo unâ juste confidi, sed malè. Homo cum DEO in eodem ordine non ponendus est. Homo variè impotens firma basis, qualis in fiducia requiritur, esse nequit. Atque dum plerique dicunt se DEO & homini confidere, revera non tam DEO quam homini confidunt. Metu & pudore impellente ore tantùm profitentur, quod corde non credunt. Et certè quomodo aliàs ad latus DEI hominem, qui vermis, pulvis tantum est, collocarent?

VI. IV. *Confidere DEO, ubi non confidendum,* quod in re non promissa aut quidem in re promissa sed sub usu mediorum & certâ conditione prius præstandâ obvenit. Quod enim DEUS se facturum non promisit, id abs DEO fiducialiter sperari nequit. Multominus, quando auxilium & gratiam in hoc illove casu negavit Deut. I. 42 - f. Et vana, imò stulta est spes, fides boni consequendi absque conditione, quod cum conditione promissum est. Et tamen longè maximus numerus est Christianorum non otiantium solùm in vinea DEI, sed & opera divina, quantum in illis, destruentium,

qui

qui tamen *operi operato* innitentes tenacissimè DEO confidunt, nec dubitant se salutem consecuturos. At stultissimi mortales à Principe tenebrarum excœcati sunt. Vita æterna non aliis quam resipiscentibus, obedientibus, sanctis promissa. Unde non alii quam resipiscentes, obedientes, sancti DEO vitam æternam pollicitanti fidere possunt, Marc. I. 15, III. 36. Hebr. XII. 14.

VII. V. *DEO diffidere. Diffidentiæ dantur plures species & gradus. Ex his sunt.* א. *Si quis, qui bonum, veluti spiritum sanctum, cognitionem DEI &c. quod pro tempore non habet, dubitat aut diffidit se illud consecuturum.* Jac. I. 5 - 9. quum tamen velit DEUS, ut bona hæc omnibus offerantur, quo omnes per rectam viam tendentes confidant se illa à DEO consecuturos, l. c. Luc. XI. 13.

VIII. ב. *DEO confidere quam diu media conservationis in promtu sunt. Quamdiu cœlum serenum est, & omnia ex voto fluunt, sed diffidere absentibus mediis, cœlo turbido & hostibus prævalentibus.* Diffidentia hæc docet, quod antecedens fiducia non tam in DEUM posita fuerit, quam in divitias, homines, statum Reipublicæ aut Ecclesiæ tranquillum 2. Reg. VII. 1, 2. Ps. LXXVIII. 19-23.

IX. ג. *Tempus & modum liberationis ex periculo*

riculo præfigere, illô elapsô aut non præstitô de salute desperare velle. Uti omnipotentia DEI nullo tempore aut modo includi potest, sic etiam fiducia in DEUM nullis limitibus circumscribenda est. Aliter se habet, quando ipse DEUS tempus & modum auxilii figit.

X. ℸ. *Ex desperatione murmurare adversus DEUM viasque, quæ tenendæ sunt: Contrarium agere cum improbatione, odio fiduciæ in DEUM ponendæ: Imo desperatione impellente vitam sibi adimere;* Exempla prostant in Israële Deut. I. 27. 32. Num. XIV, 1-5. atque Apostolo Juda, Matth. XXVII, 4. 5.

XI. *Ex dictis constat, plures esse diffidentiæ species & gradus. Illi verò ita comparati, ut plures sæpenumero conjuncti sint, unus alterum ex se gignat, inferior ad superiorem sensim ducat.* Qui sibi aut proximo confidit, ille DEO diffidit. Qui sibi & DEO confidit, ille tempore periculoso de se atque DEO desperat, confiditque brachio humano, aut etiam omnem spem abjicit.

XII. *Quanquam confidentia sui & diffidentia DEI valde enormia vitia sint, sunt tamen inter illos, de quibus bonam fiduciam tenes, facile reperiunda.* Quoties Christus in discipulis suis diffidentiam carpendi ansam materiamque habuit? Typus quoque est infi-

 delis

fidelis Iſraël, qui, licet ſtupenda opera DEI oculis ſuis vidit, nihilominus ferme totus propter diffidentiam in deſerto proſternebatur, neque in terram quietis intromittebatur 1. Cor. X. 11. Ah quoties ſubſequente tempore in Iſraële Chriſtiano ingruentibus tentationibus factitatum & infelix ille typus ad plurimorum exitium adimpletus eſt, adimpleturque! Quantam ergo cauſam habemus Salvatorem noſtrum invocandi, πρόθες ἡμῖν πίςιν, Luc. XVII. 5. ne ingenti infidelium turbâ unâ abripiamur, nos ſubducentes à fide, quam promiſimus, quamque ſereno cœlo teſtatam fecimus. Hebr. X. 38. 39.

XIII. *Confidere DEO eſt in mente perſuaſum eſſe, DEUM reſipiſcentes eumque timentes in nulla neceſſitate finaliter deſerturum, ſed iis potius gratiâ & potentiâ recto tempore adfuturum ac eos liberaturum ex malo, quo premuntur atque largiturum bonum, quod promiſit, quodque iis neceſſarium eſt.*

XIV. *Cui ergò confidendum, is DEUS eſt isque ſolus.* Scriptura damnat omnem in res creatas fiduciam Jer. XVII. 5. Principes iique *benigni* נדיבים aliâs videntur iis qualitatibus, potentia ſcil. opibus, favore inſtructi, quibus homo inniti poſſet: Nihilominus

ominus etiam horum ratione valet, *ne confidatis principibus* בנדיבים Pſ. CXLVI. 4. additis gravibus rationibus. Ex adverſo DEUS paſſim proponitur, cui fides habenda, *Iſrael confide Jehova* Pſ. CXV. 9.

XV. *Cum ſcriptura concordat rei natura.* Nam qualitates, quæ ad tutò confidendum requiruntur, DEO eique ſoli inſunt. Nam is, cui certò confidendum, debet ipſe immobilis eſſe: dein ſemper vivus. Tum potens ad omnem hoſtem, qui mihi adverſatur, depellendum, vincendum. Inſuper dives ad omnem defectum corporis & animæ ſupplendum. Præterea omnipræſens ac omniſcius. Ultimo verax atque conſtans in verbis ſuis. Hæc poſtulata fruſtra in ullo homine imò in omnibus hominibus unâ ſumtis quæruntur, & tamen nullum ex iis ad confidendum abeſſe valet. At DEUS eſt אדון *fundamentum*, baſis, mons, petra immobilis Jeſ. XXVI. 3. Deut. XXXII. 37. Pſ. XVIII. 3. DEUS ſemper vivit. 1. Tim. VI. 17. DEUS clypeus eſt, qui à confidentibus maxima & præſtantiſſima pericula, mala avertit, Pſ. CXV. 9. DEUS fons vitarum, naturalis, ſpiritualis, æternæ. Quicquid anima ſitit, ex DEO in fide haurire valet Pſ. XXXVI. 10. 1. Tim. VI. 17.

Adest confidentibus in medio igne & aqua Es. XLIII. 2. & novit ea, quibus sperantes indigent Matth. VI. 32. Nec ulla promissio divina excidit 2. Cor. I. 20.

XVI. *In statu peccati DEUS, in quem spes & fiducia ponenda est, speciatim considerandus ut in Christi sanguine mundum secum reconcilians.* Nam extra hunc homo hostis DEI est Rom. V. 10. & hinc DEO confidere haud valet. Israëlitæ sub V. T. nullam spem remissionis peccatorum aliorumque beneficiorum sine hostia habebant. Christus verò obedientia & morte sua Patrem glorificabat, unde nobis spes, fiducia, παῤῥησία resurgit gratiam & auxilium in eo expetendi Hebr. IV. 15. 16. 1. Petr. I. 3. in nomine Messiæ *gentes sperabunt*, Matth. XII. 21. Hinc officium multoties in N. T. ad salutem consequendum necessarium proponitur; *credere in Christum* sive Christum recipere tanquam illum, quem Pater posuit ἱλαστήριον, quemque tamen Pater simul dedit Præceptorem & Regem.

XVII. *Spes, fides, fiducia nostra se exercere debet non solùm, quando res nostræ in felici statu sitæ sunt, sed & in adverso, imo in hoc maximè: sperandum quoque & confidendum ratione bonorum corporalium & spiritualium.* Patet

Patet ex nexu. Dicta enim DEUM generatim arcem, refugium, cornu salutis &c. in omnibus necessitatibus proponunt. Spes & fiducia in statu tranquillo ac prospero suspecta est. Experientia quippe probat plures ex his omnem spem & fiduciam sævientibus infortuniis Matth. XIII. 20. 21. abjicere. Probata spes & fiducia illa demum est, quæ in periculis constans manet ac viva & efficax emergit, vincitque in DEO omnia obstacula. 1. Thess. I. 3. Rom. V. 2 - 6. 1. Joh. V. 4. Qualis laudata eorum fides, quorum catalogus exhibetur Hebr. XI. Sperandum & confidendum DEO in iis, quæ corporis victum & amictum concernunt. DEUS enim tale indigum corpus nobis dedit. Ille quoque de necessario nobis prospiciet. *Novit Pater vester Cælestis, quod his omnibus indigeatis.* Ergo etiam dabit, nam Pater isque dives est, Matth. VI. 32. Ægrotat corpus. Confidendum DEO. DEUS est verus, isque unicus medicus. Ille novit naturam morbi tui: Ille potens ac expertus ad morbum desperatissimum fugandum. Verbum ejus probata panacea est. Confide igitur huic Medico, qui ipsos mortuos vivificat, quantò facilius ægrotos sanitati restituit 1. Sam. II. 6. Multi, magni ac potentes hostes tibi insi-

diis struunt: Confide DEO. *Jehova est clypeus*, circa te, *gloria tua & qui caput tuum attollit*, ut dicere queas cum Davide, *non timebo à Myriadibus* Pf. III. 7. Accusat te Satanas, Conscientia: Confide DEO in Christo JESU, qui pro peccatis credentium mortuus excitatus est atque in Cœlo intercedit Rom. VIII. 33. 34. Indiges sapientiâ, tranquillitate, lætitiâ aliisque bonis spiritualibus: Confide DEO ejusque thronum gratiæ cum libertate adi atque accipies misericordiam & invenies gratiam ad opportunum auxilium Hebr. IV. 16. Jac. I. 5. 6.

XVIII. *Non tamen omnis spes, fides, fiducia, quæ talis dicitur, talis est. Inquirendum igitur probè in genuinos characteres, quales sunt.* I. *Sibi aliisque creaturis diffidere.* Vide quæ supra §. III. IV. diximus. II. *DEO confidere corde* Prov. III. 5. Qui dicit se credere DEO, quique etiam spei argumenta producere valet, is non statim sperare, confidere habendus est. *Si credideris* ἐν τῇ καρδίᾳ σου *in corde tuo, salvaberis*, Rom. X. 9. III. *Confidere DEO juxta voluntatem suam:* Cognoscenda adeoque voluntas DEI ab eo, qui rectè confidit. Aliâs firmiter confidere nequit. Cognosci verò voluntas divina potest ex scriptura & rei natura. Quod scriptu-

ſcriptura ſpecialiter vel ſaltem generaliter promittit, id rectè ſperatur, ſperandum tamen ea, qua promiſit, ratione. Sic reſipiſcens, credens rectè ſperat remiſſionem peccatorum & vitam æternam Matth. IX. 13. Tit. II. 12. 13. Joh. III. 16. Non tamen rectè ſperaret divitias, dignitatem, quam DEUS non promiſit. Ad hunc characterem quoque pertinet, ut confidens ordinariis mediis utatur. Qui ſperat ſuam ſuorumque ſuſtentationem, ille primò regnum DEI quærere atque in ſudore faciei laborare debet. Matth. VI. 33. Nam his Pater Cœleſtis ſuſtentationem honeſtam promiſit. IV. *Confidere in cauſa bona.* David toties in rebus, quæ ipſi cum proximo interceſſerant, DEO confiſus erat. Habebat verò cauſam bonam. Proximum non læſerat. Pſ. VII.

XIX. *Dantur* ὀλιγόπιστοι & μεγαλόπιστοι *exigua & magna fide præditi, varii adeòque ſpei & fiduciæ gradus.* Matth. VI. 30. VIII. 10. Et ſunt. א. *Sperare ac confidere DEO rebus proſperè fluentibus*, ſperantibus multis aliis, circa bona præſentia aut futura ſed parabilia, fixa, communia, in cauſis phyſicis, quæ notæ ſunt, latentia. ב. *Sperare, confidere, ſed eum metu ac anxietate, periculis imminen-*

 tibus.

tibus. Matth. VIII. 26. ג. *Confidere & non timere*, bono & persuaso animo esse de beneficiis divinis consequendis. Ps. XXIII. Es. XII. 2. ד. *Confidere DEO, etiam in maximis periculis*, ubi videtur omne spei & fiduciæ fundamentum dirutum, ubi omnes aut saltem plerique diffidunt; quale exemplum in Josua & Calebo prostat. Ubi potentissimi hostes omni nisu & fervore bono consequendo obstant, Dan. III. 17. 18. Vide heroas in spe & fide, quos recenset Paulus Hebr. XI.

XX. Quando verò diversi gradus spei & fiduciæ sunt, nostrum est, contendere, ut semper altius assurgamus: uti in omnibus officiis Christianorum, sic speciatim in hoc valet *plus ultra*. Eph. IV. 13. 14. Qui non proficit in spe & fide, ille facilè deficit. Solet enim DEUS suorum spem ac fiduciam novis ac difficilioribus experimentis exercere. Constat ex exemplis Abrahami, Israëlitarum: Moses olim aquam in deserto dabat, petram percutiendo Exod. XVII. postea dare debebat, eam nonnisi alloquendo. At irascebatur DEUS Mosi petram percutienti לא מאמין, *non credenti*, (quanquam non sine fiducia fuerit) petram solùm compellatam aquam daturam esse. Num. XX. 8. 11. 12.

XXI. *Ad sperandum & confidendum DEO plurimum facit exactior providentiæ divinæ notitia.* Qui enim DEO non confidit, quare non confidit? Non novit DEUM omnibus, omni loco & tempore prospicere. Si enim nosset DEUM omnipræsentem, omniscium, omnisufficientem, benignissimum singulis creaturis, illis maxime, quæ se totas creatori committunt, paternè prospicere, non posset non huic DEO confidere.

XXII. *Providentiam DEI cogniturus attendat ad naturam, scripturam, notabiliora exempla eorum, quibus DEUS singulariter prospexit, imò ad se ipsum. Ad naturam,* in qua videt innumeras bestias, magnas & parvas; quæ ratione destitutæ nihil agere possunt ad sustentationem. Illæ tamen omnes reperiunt sufficientem victum & quidem talem, qualem unius cujusque natur poscit. Matth. VI. 26. 28. *Ad scripturam,* quæ uti est πιςὸς *fidus & omni receptione dignus sermo,* sic quoque attentis lectoribus πίςιν, ἐλπίδα, πεποίθησιν ingenerat, confirmat, auget, toties adhortando: *Confidite DEO omni tempore* Ps. LXII. 9. gravissimas rationes subjungendo. Matth. VI. 25 - f. *Ad notabiliora exempla eorum, quibus DEUS singulariter prospexit.* Talia reperiunda in sacra ac Ecclesiastica

Hiſtoria, imò omnia tempora & loca ea monſtrant. Præſtat paulò diutius cogitata circa exemplum, quod quis præ oculis habet, figere, veluti Davidem, quis ille fuerit, quomodo ad honores aſcenderit, quoties præſentiſſimis periculis involutus, ſed & ex iis miro modo liberatus fuerit. *Ad ſeipſum.* DEUS, qui vult ut omnes illi confidant, neminem abſque propriis atque internis argumentis gratioſæ gubernationis vivere ſinit, modò quilibet attendat & memor ſit viarum DEI. Scrutans notatu digna obſervabit in infantia & reliqua ætate: Vel circa corpus ex periculo, morbo præter ſpem ereptum: Vel circa animum: Vel circa Parentes, Patronos, Præceptores: Vel circa bona. Exactior autem providentiæ divinæ circa ſe cognitio certior eſt & hinc magis valet ad DEO confidendum. Cauſa quoque eſt, quod fides habeatur Hiſtoriæ ſacræ, miraculoſam Providentiam Numinis tradenti. Reperies non alios magis mirabiles Numinis vias exſibilare aut ad tempora V. T. & Apoſtolorum reſtringere, quam qui regimen divinum circa ſe & ea, quæ ſuo tempore obtingunt, obſervare nolunt, omnia caſui, fortunæ, cauſis ſecundis adſcribentes.

XXIII. *Fa-*

XXIII. *Facit quoque huc recta precatio*, qua quis conſpecto accreſcente periculo manum DEI auxiliatricem implorat Matth. VIII, 25. atque fidem ſuam infidelitati vicinam gratiæ divinæ commendat. Marc. IX. 24. ejusque augmentum petit, Luc. XVII. 5. Sapientiamque, ut ſciat, qualem ſe in tentationibus gerere debeat. Jac. I, 2 - 6.

XXIV. *Confiſurus denique nihil ex carnis motu aut inconſideratè agat* ſed præmeditate juxta ſcripturam, rei naturam, ad gloriam DEI & proximi ſalutem. Aliter nequit confidere aut temerè confidit. Deeſt quippe ratio ſpei ac fiduciæ.

XXV. *Spei & fiduciæ in DEUM ponendæ, continuandæ, obſtant ſequentia falſa cogitata.* I. Cuncta dependere à ſapientia, robore, induſtria, opibus humanis. Hinc eſſe, quod omnia ex voto ſapientum, potentum, induſtriorum ac divitum fluant. II. Reperiri, qui, quanquam diu ſperaverint confiderintque, nullum tamen ſpei & fiduciæ commodum, ſed potius damnum reportarint. III. Non credibile DEUM benignum ſuos longa moleſtaque ſpe exercere velle. Patrem filiis ſuis mox ac auxilio indigent, opitulari.

XXVI. *Quoad primum.* Quanquam in

ſpe

ſpe & fiducia, uſum ſapientiæ, potentiæ, diligentiæ ac opum humanarum non ſimpliciter excludamus, imò certo modo ac certis in caſibus requiramus, tamen id falſum ab his res noſtras dependere; Quoties Philoſophorum ſapientia, Regum potentia, laborioſorum indefeſſa diligentia, divitum ingentes pecuniæ ſcopum non aſſequuntur, imò ſibi nocent 1. Cor. I. 19. 20. Pſ. XXXIII. 16. 17. Pſ. CXXVII. 1. 2. Eccleſ. IX. 11. Sed ſimplices, impotentes, pauperes, qui DEO confiderunt, victores evaſerunt. Conſtat ex bellis Iſraëlitarum ac præconio Apoſtolorum.

XXVII. *Quoad ſecundum.* Vel non rectè ſperarunt, permanſeruntque in ſpe, vel ſpei fructum certo reportarunt, nam *nemo, qui DEUM exſpectat, pudefiet* Pſ. XXV. 2. Id quidem accidere poteſt, ut illud ipſum bonum, quod quis exſpectabat, non conſequatur. Conſequitur tamen aliud ſtatui ſuo ex optimo DEI judicio magis ſalutare.

XXVIII. *Quoad tertium.* Experientia contrarium abundè probat. Annon Enochus, Noachus, Abrahamus, Moſes, David, Zacharias & tot alii DEO chariſſimi? An horum ſpes & fiducia non protracta fuit. Hoſpes certè ille in ſacris, qui id ignorat,

Lege

Lege quæso caput undecimum ad Hebræos.

XXIX. Sed ais. *Quare DEUS eos, qui sibi dilectissimi sunt, molestâ ac longâ spe exercet? Id non videtur cum summo DEI amore convenire. Vel quomodo ii, quos DEUS intensissimè diligit, traduntur hostium manibus, paupertati, exponuntur maximis periculis? vultque ut confidentes tandem liberentur?* Id jam posset nobis sufficere, quod experientia doceat, DEUM suos variè affligere; Quia verò sapientissimus est, quicquid agit, etiam sapienter agit. Sed rationes non prorsus latent, quas generatim proponit Jacobus & Petrus. Hic cap. I. 7. *tristitia afficimini ut* δοκίμιον, *probatio fidei vestræ multo pretiosior auro, quod perit, quodque tamen per ignem probatur, inveniatur ad laudem & honorem & gloriam in revelatione JESU Christi. Ille* cap. I. 4. ut explorati sint τελειοὶ καὶ ὁλόκληροι *perfecti & integra sors, in nulla re deficientes.* Fideles similes sunt auro scoriis mixto, quod verò vi ignis purificatur, quale aurum præstans est. Apoc. III. 18 Fideles miseriam & paupertatem suam spiritualem non agnoscunt, non explorati, nec etiam gloriam, omnipotentiam, gratiam & alias perfectiones divinas. Virtutes Christianorum sine tenta-

tentatione vix quidquam ſunt. Quid eſt ſpes, fiducia, ſi omnia ex voto fluunt? Peſſimus quisque ſic confidit ac ſperat. Difficultatibus obortis demum eniteſcit gliſcitque fides, 1. Petr. I. 6-9. Jac. I. 12. glorificaturque JESUS Chriſtus Rex fidelium 1. Petr. I. 7. Quando enim infideles homines bona terreſtria pro brachio ſuo habent ac ſæviente tempeſtate ſanctiſſimam fidem celant, diſſimulant, abnegant, fideles in mediis periculis conſtantes manent, adhærentque DEO & Redemtori ſuo, quamquam eum non videant.

XXX. Ad hoc officium DEO præſtandum moveant nos. I. *Voluntas divina.* Magnus ac gratioſus DEUS non ſolùm permittit ſed & mandat, ut omnes ipſi & quidem ſoli confidant. *Iſrael confide Jehovæ. Domus Aaron confidite Jehovæ: Qui Jehovam timetis, confidite Jehovæ.* Pſ. CXV. 9-12. *Volve ſuper Jehovam viam tuam & confide ipſi* Pſ. XXXVII. 5. conf. Hebr. XIII. 5. 6.

XXXI. II. *Natura divina.* Habet hæc omnia perfectiſſimè, quæ ſubjecto, cui confidendum, ineſſe debent vide §. XV. *Confidite Jehovæ in perpetuum, nam in Domino Jehova eſt rupes æterna.* Jeſ. XXVI. 4. *Omnem ſolicitudinem projicite in DEUM; nam ille*

curat

curat pro vobis 1. Petr. V. 7. *Israel confide Jehovæ, nam clypeus & auxilium eorum*, Pſ. CXV. 9.

XXXII. III. *Status noſter.* Hic adeo indigus, ut ſine ſpe ac fiducia ſubſiſtere nequeamus, deſunt corporalia, ſpiritualia, æterna. Hoſtes interni, externi, innumeri, potentes nobis inſidiantur. Quando verò ſpes & fiducia in aliquem ponenda, ponamus in illum, qui ſpes & fiducia noſtra ſalutaris eſſe valet.

XXXIII. IV. *Commodum, quod ex hac ſpe & fiducia reportaturi. DEUS mi, in te confidi, non confundar: Non exultabunt hoſtes mei de me: Etiam omnes, qui te ſperant, non confundentur.* Pſ. XXV. 2. 3. *Jehova lux mea & ſalus mea: A quo timebo. Jehova munimentum vitæ meæ, à quo pavebo.* Pſ. XXVII. 1. conf. ℣. 2. 3. *Benedictus Vir, qui confidit in Jehovam & cujus Jehova eſt fiducia: Erit enim ſicut arbor plantata juxta aquas & quæ juxta fluvium emittit radices ſuas neque timebit, cum venerit æſtus, ſed erit folium ejus viride: Unde in anno ſiccitatis non erit ſolicitus, neque ceſſabit à ferendo fructu* Jer. XVII. 7. 8.

XXXIV. V. *Damnum, quod fiducia humana & diffidentia in DEUM parit.* Quum homo baculo arundineo ſimilis, ille, qui homini con-

confidit, non poteſt non in periculo eſſe. Quando enim tempore neceſſitatis illi inniti vult, frangitur læditque innitentem, hinc Jer. XVII. 5. 6. *Maledictus Vir, qui in homine confidit & ponit carnem brachium ſuum: A Jehova autem recedit cor ejus: Et erit ſicut ſolitaria arbor in ſolitudine, neque videbit, cum veniet bonum, ſed habitabit in æſtuoſis locis, in terra ſalſuginoſa, quæ non inhabitatur.* Talis à DEO non ſolùm nullum bonum exſpectare poteſt, ſed ipſum, ceu quem infirmo homini poſt poſuit, vindicem & hoſtem experietur.

XXXV. *Quanquam omni ſtatui incumbat hoc officium DEO exhibere, maximè tamen Eccleſiaſtico & Politico.* Uterque enim ad graviſſimos ac difficillimos labores vires humanas, ſi aliâs rectè ferendi, ſuperantes adſtrictus eſt. Uterque quoque ſtatus ob potentiam, aliorum ſubjectionem propenſus ad confidendum brachio humano. Ne dicam quod aliâs etiam ſubditis exemplo ſint anſamque præbeant, gloriam, quæ ſoli DEO ſacra eſſe debet, rapiendi. Igitur, *Domus Aharon, confidite Jehovæ.* Pſ. CXV. 10. *Rex non ſalvatur magna potentia: Fortis non eripitur magna virtute. Equus mendax eſt ad ſalutem.* Pſ. XXXIII. 16. 17. Uti plura exempla

pro-

probant. Ex adverſo fiducia in DEUM, Regi ejusque populo arx munitiſſima eſt ac confundit potentiſſimos hoſtes, id quod varia piorum Regum bella docent, maximè notabilis Joſaphati Hiſtoria, quæ legitur II. Paral. XX. Arma hujus verè miraculoſi, in oculis mundi ridiculi exercitûs nonniſi erant fiducia. Idem DEUS etiam hodie vivit atque Joſaphatis eundem ſe probabit, at Joſaphatis. Confer quoque, quæ ſcripſi in Lib. *de Inſpectione ſui ipſius.* cap. XIV. §. XXXVI - LVI.

************:*:*********:*

CAPUT VII.

De

Precatione.

Σύνοψις.

AD interna officia DEO debita referuntur preces. §. *I.*
Quibus opponuntur ſequentia vitia. §. *II.*
I. *Non precari aut rariſſimè.* §. *III.*
II. *Non rectè precari.* §. *IV.*
Quod variè fit. Alia vitia reſpiciunt (a) *intellectum:* §. *V.*
(b) *Voluntatem & affectus.* §. *VI.*
(c) *Memoriam.* §. *VII.*
(d) *Os reliquumque corpus.* §. *VIII.*
(e) *Materiam precũ.* §. *IX.*

 (f) *Sub-*

(f) *Subjectum.* §. *X.*
(g) *Objectum.* §. *XI. XII.*
(h) *Finem.* §. *XIII.*
(i) *Tempus.* §. *XIV.*
(k) *Locum.* §. *XV.*
(l) *Libros precatorios.* §. *XVI.*
(m) *Alias circumstantias.* §. *XVII.*
(n) *Gradus.* §. *XVIII.*

Vitia hac communiter socia incedunt. §. *XIX.*

Causa speciales sunt. א. *Educatio & institutio.* §. *XX.*
ב. *Exempla.* §. *XXI.*
ג. *Leges injusta.* §. *XXII.*
ד. *Imprudentia & fastus.* §. *XXIII.*
ה. *Cura.* §. *XXIV.*
ו. *Concatenata negotia.* §. *XXV.*
ז. *Liberiores sensus.* §. *XXVI.*
ח. *Impietas.* §. *XXVII.*

Tales preces DEO detestabiles sunt. §. *XXVIII.*

Vitia in precibus sequitur vera precatio. §. *XXIX.*

Est vel mentalis vel simul vocalis. §. *XXX.*

Vel gratiarum actio vel deprecatio vel votum vel Intercessio. §. *XXXI.*

Vel meditativa, vel affectiva vel contemplativa. §. *XXXII.*

Vel activa vel passiva. §. *XXXIII.*

Vel dicitur animo quasi arido aut læto. §. *XXXIV.*

Virtutes precum quoque notantur. §. *XXXV.*
(a) *In intellectu.* §. *XXXVI. XXXVII. XXXVIII.*
(b) *Voluntate & affectibus.* §. *XXXIX.*
(c) *Memoria.* §. *XL.*
(d) *Ore reliquoque corpore.* §. *XLI.*
(e) *Materia precum.* §. *XLII.*
(f) *Subjecto.* §. *XLIII.*
(g) *Objecto.* §. *XLIV.*
(h) *Fine.* §. *XLV.*
(i) *Tempore.* §. *XLVI. XLVII.*

(k) *Loco.*

§. I.

A*D officia interna, quæ DEO debemus, ultimò referimus precationem.* Internum officium eſt, ut tamen etiam externum eſſe queat. Nunquam tamen externum eſſe valet, niſi prius intus præſtetur. At intus præſtári poteſt, quanquam non foras prodeat.

II *More noſtro vitia precum primò notanda ſunt*, idque eum in finem, ut intelligamus ſanctiſſimum hoc officium culpâ noſtrâ variè & fœdiſſimè commaculari, plures, qui opinantur ſe DEO cultum facere, ei abominationi eſſe. Id quod ſolicitos nos

reddere debet, ut longiori vitiorum precatoriorum catalogo perlecto in nos ipsos descendamus & ea integrè fateamur relinquamusque, quæ nobis vitiosè adhærent.

III. *Vitia precatoria sunt.* I. *Non precari aut rarissimè.* Scelus est, quod prorsus Naturæ DEI & hominis adversatur. Quale existere vix credibile videtur. Tale tamen præter experientiam notat scriptura. Ps. XIV, 4. *Jehovam non invocant.* Quinam? *qui devorant Populum DEI*, ac si comederent panem. conf. Hos. VII. 7. 14. Ad quam Classem pertinent Athei, qui in corde suo dicunt, optant DEUM non esse, de grege Epicuri & alii profligatæ nequitiæ homines. vid. loc. cit.

IV. II. *Non rectè precari.* Horum ingens numerus est, quas in Classes dispescemus. Horum vitia in intellectu, voluntate, affectibus, memoria, ore, gestibus corporis, materia, subjecto, objecto, fine, tempore, loco, libris, precum circumstantiis atque gradibus notari queunt.

V. *Precantium vitia in intellectu.* א. *Preces fundere ad DEUM, illum tamen nec nosse nec præsentem, omniscium, omnipotentem habere.* Qualis mendico similis, qui stipem petit nemine præsente. An accepturus? ב. *Precari*

nec

nec tamen nôsse, quod petieris. Quoties accidit, ut precator, maximè qui præeuntem sequi deberet, precibus finitis, quid petitum sit, ignoret. Huc illuc enim cogitata ejus vagantur. Sic sæpius id, quod petitur non intelligitur Matth. XX. 22. atque malum potius & noxium precanti est, quam bonum ac utile. ג. *Precari id, quod precandum non esse ratio dictat.* Quod vitium non tam privatis ac mentalibus precibus inest quam publicis, quales subinde leges Ecclesiasticæ hoc nomine indignissimæ præscribunt, jubent, graviter inculcant Sed quem putas fructum ex ejusmodi precibus in cœtum redundare? Premitur, angitur, vulneratur conscientia Ministri.

vi. *In Voluntate & affectibus.* א. *Precari sine Voluntate & affectibus.* Precans similis est nolenti. Unde in precibus tepor, somnolentia, frigor. Quanquam bonum idque magnum petat, nullum in eo sentitur desiderium nec fastidium aut odium, si deprecatur malum. ב. *Velle & tamen nolle.* Sic qui petunt sanctificationem, nolunt tamen sanctificari, tum agendo tum patiendo, quod sanctificandorum est. ג. Odio, ira impellente divinam vindictam contra proximum inimicum implorare.

VII. *In Memoria. Preces, quas quis memoriæ impressit, ex memoria recitare, sine judicii usu.* Quod plerumque accidit iis, qui preces, quas cum lacte materno imbiberunt, statis horis deblaterant. Nesciunt petitum. Si illud intelligerent, sæpius nollent. Quandoque cum statu precantis minime convenit. Deprecatur bellum, contagium, similia mala ac præsentia, quæ tamen absunt.

VIII. *In ore reliquoque corpore.* א. Ore, aliisque corporis membris, manibus, genubus, oculis, pectore precationem eamque intensam præ se ferre, animum vero à precando alienum tenere Matth. XV. 8. ב. Os reliquaque membra modo parata sistere precibus fundendis, modo mendaciis, juramentis, conviciis, injustitiæ Jac. III. 9. 10. Jes. I. 15. ג. Aliud oretenus precari, aliud corde. Imo in corde hoc ipsum negare, quod ore affirmatum. ד. Inter precandum vel nulla precantis signa edere vel quæ testantur de animo inverecundo. Oculos huc illuc circumferre, colloqui cum alio, sedere &c. solent plerumque in gestibus precatoriis rustici esse, qui aulici in ceremoniis erga homines auctoritate graves sunt. Graviter veterum quidam ad benè comtam, quæ ad precandum properabat, dicebat:

Qui

Quo pacto ingemiscere potes & lachrymas fundere atque intensissime, ut decet, orare, quæ ejusmodi ornatu comta procedis. Nam etsi lachrymas fuderis, risum cernentibus hujusmodi lachrymæ movebunt. Non iste supplicis est habitus.

IX. *In Materia.* Petere bona corporalia, noxia, (uti si avarus pecuniam, voluptuosus delicias expetit;) Aut saltem corporalia cum fervore petere, non item spiritualia. Pariter in deprecationibus fervidum esse, ad damnum aliquando leve, quod famam aut pecuniam concernit, avertendum. Et quanquam animum circumstent, immineant, tangant, confringant ingentia mala, vix labia movere. Sic homo, qui se perversè amat toties iterata vota pro incolumitate sua fundit, sed DEI aut proximi vix rationem habet. Hinc aliquando maledicit, aut saltem segniter glorificationem nominis divini, prosperitatem proximi, maximè peregrini, inimici cupit. Frequentes προσευχὰς καὶ δεήσεις petere promittereque indesinentes grates constantemque laudem at bono accepto, periculo fugato, malo depulso, gratiarum actionem oblivisci Luc. XVII. 17. 18. aut indesinentem in brevi transituram convertere.

x. *In subjecto.* Nam impii & in impietate permanentis precatio vitiosa est. Prov. XXVIII. 9. Ps. CIX. 7. nec benedictionem sed maledictionem sibi ipsi adprecatur. Matth. VI. 12.

xi. *In objecto.* Preces fundere ad creaturas, angelos aut homines, bona corporalia spiritualia ab illis unicè aut præcipuè aut saltem tanquam dominis petere, apud illas mala deprecari, intercedere pro proximo, creaturas laudare, evehere Numinis instar aut supra Numen. Quidam peccant implorantes Angelos, sanctos: Alii non minori sed sæpius majori scelere atque stultitia homines Angelis longè inferiores, impotentiores, profanos, vocibus & libellis supplicibus fiducialiter implorant.

xii. *Sed dicis! An non licet hominum auxilium implorare? Utique licebit, quandoquidem illi possident, quo alter indiget* modo, quem supra expressi, non licet. Patriarchas aliosque fideles ab angelis aut sanctis defunctis petiisse in sacris non legimus. Daniel à Nebucadnezare, Magistratu & suo & potenti & sibi gratioso nihil petebat, sed petebat à DEO suo. Dan. VI. 10. Bona hæc, quæ alii petunt, implorati vel prorsus non habent, vel si habent, communicare nequeunt. Justo DEI judicio loco boni

boni malum aliquando dant. Nec bona eorum ſunt, à quibus petuntur, ſed DEI. Aliter res ſe habet, ſi quis DEUM ceu fontem omnis boni non fictis verbis nominat ſed toto corde agnoſcit, hinc eum primò & præcipuè adit, invocat petitque ut per creaturas tanquam canales ſibi gratiam facere velit atque hac ratione in DEO creaturam bonam, ſanctam, ad hoc vel illud dandum ordinatam, decenter adit, ab ea petit, pro beneficio, DEO præcipue, grates ſolvit.

XIII. *In Fine.* Precari malo ſcopo. Talis eſt, ut quis ſanctus habeatur. Matth. VI. 5. ut ſcelus patret: ut bonum, quod petit, malè impendat, in faſtu, deliciis conſumat. Jacob. IV. 3.

XIV. *In Tempore.* Nullum tempus precibus dicendis deſtinare, dare, aut quod ab aliis negotiis liberum maximeque vacivum, ſive quo aliud agi non poteſt. Vitium quoque eſt certum atque in ſe commodum tempus precibus fundendis conſecrare ſed reliquo animum ab oratione mentali alienum totumque circa mundum occupatum circumferre.

XV. *In Loco.* Officium precationis certo loco affigere, quod tamen nullis limitibus

includendum. DEUS, qui invocandus, passim locorum audit vocem ex corde clamantis. Aut locum publicum occursui hominum expositum ad precandum seligere. Matth. VI. 5. Vel denique precari ibi, ubi alii tumultuantur, debacchantur. Precantis mens attenta esse nequit. Excipio necessitatem, cui nullæ leges dantur.

XVI. *In Libris Precatoriis.* Quidam enim absque spiritu precum scripti sunt, auctorem habent Spiritum mundi, nequeunt ergo animum ad ritè precandum excitare. Etiam, qui à piis & sanctis hominibus scripti sunt, nisi judicio legantur, nullum usum præbent. Veluti si leguntur, non tamen intelliguntur aut si materia precum vel ex toto aut saltem ex parte ad legentis statum accommodata non est. Vel denique si & leguntur & intelliguntur, non tamen vota ex corde legentis profluunt. Legere & intelligere non est precari. Ultimò si serperastra hæc non deponuntur.

XVII. *In aliis circumstantiis.* Huc refero alia precantium vitia, qualia sunt à tumultu, opere mundano, aliquando in se malo, properare ad precandum. Inter precandum extravagari atque precum finem optare. Fusis precibus derepente se ad creaturas con-

convertere nec cogitare de eo, quod petitum. Publicam precum recitationem liberis rationis usu, spiritus operatione tanto magis destitutis committere, pudore rustico impellente, ac si precatio Labos esset homine Christiano indignus.

XVIII. *Ingradibus.* Vitia sunt tum eorum, qui dum per gradus ascendere deberent, in infimis tantùm subsistunt, uti precari aliis præeuntibus, ex libello, vóce altiori, aut fervorem, quem Spiritus Sanctus in corde accendit, non sollicitè asservare, sinere ut tepescat, tum eorum, qui audiunt status precantium altos, excellentes dari, quales non tam ipsi precantur quam ipse Spiritus Sanctus operatione singulari in illis precatur, & qui toti igne cœlesti incalescunt & divina cernunt, sentiunt, si inquam hi ejusmodi status immoderatè quærunt, affectant, vi quasi ascendunt, quum potius statum sibi convenientem tenere deberent ac exspectare, quando DEO lubet majorem Spiritûs precum mensuram largiri. Altiores status precantium non tam videntur humano studio conscendendi quam committendi liberrimæ Numinis elevationi, quos & quando in eos evehere velit.

XIX. *Duo plurave vitia communiter socia sunt,*

sunt, vel etiam unum alterum ex se gignit. Veluti qui precans nescit materiam precum, ille etiam eam non cupit, psittaci instar tantùm ex memoria decantat. Quare etiam gestus ad verecundiam compositi non erunt. Quod petit, sæpius statui suo accommodatum non est. Talis potius homines quam DEUM invocabit. Nec verum precandi scopum habere potest: Simiæ instar imitatur alios, &c.

XX. *Ex causis præter ignorantiam rerum divinarum, spiritualium, hinc ortu idam infidelitatem noto educationem & institutionem.* Parentes, Præceptores, & qui horum loco, opinantur se officio satisfacere, si liberos preces memoriæ imprimere & exinde depromere docent. Laudant eos, qui precatiunculas fidæ memoriæ commiserunt, quanquam eas non intelligant. Unde hi crescente ætate officio satisfactum putant, si preces deblaterarunt. Hinc non contendunt ex proprio cordis motu Patrem cœlestem adire, atque ipsi necessitatem proponere.

XXI. *Noto quoque exempla.* Solent plurimi Patres familiâs fixas preces, quas alii conscripserunt, aliquando ad specialem statum comparatas, festinanter prælegere, idque sine

ſine præparatione, aliquando inter tumultum, Liberi Parentes imitantur nec iis pientiores eſſe volunt. Mos magis pudendus inter paſtores, qui dum ſpiritum precum non habent ab aliis compoſitas & publicè & privatim ſine animo feſtinabundi recitant, ægrotos inviſentes ſolatium in ſacco ſecum ferunt effunduntque promiſcuè in dignos indignosque. Quales ſtant pro receptis precum formulis reprehenduntque qui in ſpiritu, & veritate, quod omnium precantium eſt, Patrem adorant.

XXII. *Noto porro illas leges, quæ vel interdicunt mutua Chriſtianorum excitatione ac ædificatione ad precandum aut etiam Miniſtris præcipiunt, ut preces publicas dictamini conſcientiæ adverſas recitent mentianturque DEO coram cœtu.*

XXIII. *Noto inſuper imprudentiam aut etiam faſtum.* Imprudentes illi aut ſuperbi, qui altiorem precantium ſtatum affectant, quam qui ipſis convenit.

XXIV. *Noto præterea curas & ſollicitudines,* quæ diſtrahunt animæ vires uniendas in præſentia DEI. Phil. IV. 6. hinc illæ orare non ſinunt, aut non bene.

XXV. *Noto denique concatenata Negotia.* Hæc negant tempus precibus fundendis aut ſi con-

concedunt, breve concedunt urgentque ut mox abrumpantur. Hinc Orator inter precandum finem cogitat, desiderat, quærit, facit.

XXVI. *Noto tandem liberiorem sensuum, oculorum maximè usum vel potius abusum.* Quando enim cogitata & desideria in divina tendere debent, fit ut objecta per sensus ad mentem delata cogitata & desideria aliò avertant, saltem impediant attentiorem meditationem & amorem rerum divinarum.

XXVII. *Noto ultimò impietatem.* Impius, qui spiritum precum non habet, (uti non habet) non potest orare. Hinc preces ejus steriles evadunt. Jes. I. 15.

XXVIII. *Uti preces, quæ se rectè habent, DEO gratissimæ, sic tales ei abominationi* Prov. XXVIII. 9. Es. I. 15. existunt. Et meritò. Quomodo fœtus ignorantiæ, infidelitatis, pravorum affectuum, hypocriseos, superbiæ, metus humani DEO gratus esse posset? Omnium irrisioni exponeretur is, qui in libello supplici eam stultitiam committeret, quam vulgo Christiani in precibus suis committere solent.

XXIX. *Tractatis, quæ ad vitiosam precationem pertinent, dicendum nunc de rectâ precatione. Est autem hæc devota mentis elevatio*

ad

ad DEUM cupiens glorificationem DEI, salutem propriam proximique. Precantes DEUM vocamus ad nos. Scripturam legentes aut audientes nos vocamur ad DEUM.

XXX. *Mentalis dicitur, si silentibus labiis peragitur, sed vocalis, si quod mens intus agit, cogitat, vult, voce exprimitur.*

XXXI. *Pro vario scopo, quem precans habet, variæ preces surgunt.* Si DEUM laudat, collata beneficia celebrat, הודה ἐυχαριστία: Si bonum expetit, προσευχὴ: si malum deprecatur, δέησις: si pro alio intercedit, ἔντευξις, dicitur. Conjunctim prostant 1. Tim. II, 1.

XXXII. *Precaturus vel meditatur* res sacras, opera DEI naturalia, gratiosa, vitam Christi, vel expetit bonum, DEUM veluti ejusque communionem. *Vel bono ipso fruitur hinc illud contemplatur*, admiratur, ac propterea gaudet. Unde precatio solet & potest dividi in meditativam, affectivam, contemplativam. Sic David precum expertissimus jam הגה *meditans*. Ps. LXIII. 7. jam *anhelans*, Ps. XLII. 2. LXXIV. 3. jam *contemplans* & admirans sistitur Ps. LXII. 4.

XXXIII. *Precaturus vel magis activè se habet vel magis passivè. Illo modo* quando Christianus officio defuncturus se parat ad precandum precaturque juxta dotes sibi concessas.

cessus. *Hoc.* Si vel inter precandum vel extra hunc statum spiritus precum Christianum stimulat, cogit, rapit ad precandum, DEUM laudandum.

XXXIV. *Orans aliquando in se sentit motum, eumque calidum, lætificantem, aliquando omnis motus expers est, & quasi in ariditate, tenebris versatur.* Qui status in Davide semel ac iterum notatur. Ps. LXIII. 1 - 10.

XXXV. *In quibus supra precum vitia notavimus, in iisdem earum rectitudinem & perfectionem notaturi. Et quidem primò.*

XXXVI. *In intellectu.* Hujus est voluntatem movere. Si verò ad ritè precandum movere debet, precans oportet notitiam ejus habeat, quem in precibus adit. Et quidem quod DEUS Spiritus sit adeoque præsens modo invisibili: Quod omnipræsens, per consequens, quod precatio passim locorum ad DEUM fundi queat: Quod omniscius, quod sciat omnem necessitatem, quam vel corde solùm ei proponis: Quod sanctus, hinc à sanctis nonnisi adeundus: Quod misericors & bonus in filio suo JESU Christo, atque sic pronus ad miserum juvandum & beneficia sua in ipsum conferendum: Quod verax, quod non solum promittat invocantibus auxilium, sed etiam ad-

adferat, quia verax: Quod denique omnipotens, qui gratiam, quam facere vult, nullo obstaculo obstante exhibere queat.

XXXVII. *Non tamen Orator necesse habet, ut quamlibet precationem fundens memoratas has divinas perfectiones de novo menti suæ sistat.* Non: Modò talem DEUM verè agnoscat atque precans nullam ex perfectionibus Divinis neget. Diligens Orator quoties thronum gratiæ adit, perfectiones divinas, quas antea speciatim contemplatus est, comprehendit in generali idea DEI omnes illas perfectiones complectentis; Uti interioris admissionis Minister cum Rege suo versans non omnes, quos titulos habet, repetit, quoties eum adit aut etiam mente considerat sed præsupponit agitque cum eo ut à cujus dispositione omnia dependent: Sic in precibus DEUS aditur. Perfectio, quæ præ aliis explicite cognoscenda & firmiter credenda, est præsentia Numinis; quæ reliquas in se continet.

XXXVIII. Quod quis à DEO precatur, illud tanquam conveniens voluntati DEI 1. Joh. V. 15. intellectu suo assequi atque inter precandum semper in mente præsens habere debet.

XXXIX. *In Voluntate & affectibus.* I. Qui

DEUM modo dicto menti suæ sistit, ejus cor plenum reverentiâ, humilitate, studio sanctitatis, fiduciâ. Ps. V. 8. Gen. XVIII. 27. 1.Timoth. II. 8. Jac. I. 6. 7. poscitur. II. Quodcunque petit, verè petit vultque possidere. Hinc in illo reale desiderium boni, veluti gratiæ sanctificantis, odium mali, uti peccati, à quo liberari cupit. III. Abesse debent affectus maligni, odium, invidia erga proximum, etiam inimicum 1. Timoth. II. 8. Matth. V. 23. 24. Adesse vero communis amor, misericordia. Matth. VI. 11 - 16.

XL. *In memoria.* Usus memoriæ in precibus hic est, ut suppeditet animo, non ori, saltem non immediatè, materiam precum, opera DEI, meditationes, quas quis jam antea meditatus erat. Animus ea, quæ memoria suggerit, de novo contemplatur, admiratur, laudat, vult, desiderat, deprecatur & eructat verba, quæ cum corde conveniunt.

XLI. *In Ore reliquoque corpore.* I. Corpus, quod precantem variè impedit, turbat, compescendum est, maximè sensus & inter hos visus atque auditus. Orans sit quasi cœcus, mutus & surdus. II. Corpus, quod primò vi domandum erat, succedente tempore menti precanti lubenter subjectum est

atque,

atque, quam intus venerationem & humilitatem erga DEUM exhibet, extus testatam facit stando, procumbendo, manus expandendo, similibusque gestibus tum DEO gratissimis, si ex interiori principio proveniunt. III. Imò mentem precantem quodammodo juvat; Corpus ad humilitatem compositum conservat ac tantùm non auget mentis reverentiam. IV. Quæ mens precatur, effert os, non alia. Os fidum est.

XLII. *In materia.* Genuinus Orator primo & præcipuè petit bona spiritualia, peccatorum remissionem, Spiritum Christi, fidem &c. Tam quoque terrestria, quorum modum & determinationem sapienti distributori relinquit. Sed non solùm pro se precatur verùm pro omni proximo, etiam inimico. Matth. V. 44. Quod quoque Oratio dominica docet. Multus est in laudibus divinis 1. Thess. V. 18. Angelorum more. Apoc. IV. 8.

XLIII. *In subjecto.* Qui rectè precantur, resipiscentes, sapientes, boni, justi, amantes requiruntur. Patet ex nexu. Quorum enim intellectus, voluntas, memoria, corpus se habet, uti supra diximus, illi resipiscentes, sapientes, boni, justi, amantes sunt. Nec alii promittere sibi possunt pre-

cum exauditionem. *Multum valet Oratio δικαίου justi.* Jacob. V. 16. Sacerdotes suffituri loti erant atque jam ante suffitum victimam mactaverant: Ita docemur, quod veri adoratores spirituales & sancti sacerdotes esse quodque in sanguine Christi Patrem adire debeant. conf. Ps. XXVI. 6. 7.

XLIV. *In objecto.* Hoc propriè solus DEUS est, iis attributis, quæ objectum invocandum, poscit, honoratus. *Dominum DEUM tuum adorabis.* Matth. IV. 10. Unde sancti adoratores vota sua coram DEO nonnisi effuderunt, David speciatim. *Attende ad vocem vociferationis meæ, Rex mi & DEUS mi, nam ad te orabo.* Ps. V. 3.

XLV. *In fine.* . Finis precum est DEUM honorare tanquam fontem omnis boni, clypeum simul & solem. Agnoscere verò propriam inopiam, miseriam, impotentiam, quo DEUS dives opem ferat, miseriam in felicitatem convertat, largiaturque cuncta, quæ juxta ejus voluntatem petebantur. Finis quoque est proximo gratiam divinam adprecari.

XLVI. *In tempore.* Illud tempus precibus dandum est, quo maximè idonei: quo novum beneficium imploramus aut impetramus. Tale tempus est matutinum, vespertinum,

tinum, quando cibum vel aliam gratiam Numinis ſumimus, ſumſimus.

XLVII. *At Chriſtus ait.* πάντοτε *ſemper orandum eſſe.* Luc. XVIII. 1. *Paulus* ἀδιαλείπτως *indeſinenter* 1. Theſſ. V. 18. *Ergo non peculiare aliquod tempus precibus deſtinandum eſt,* quum DEUS omne conſecraverit ℞. Utrumque diverſa ratione dici poteſt. Aliquod tempus dandum, quo ſcil. ab ordinariis functionibus vacamus atque DEO neceſſitates noſtras proponimus, quomodo etiam ipſe Salvator precatus fuiſſe legitur. Omne verò, quatenus animus noſter DEUM jugiter ante oculos habet, creberrimas ad DEUM fundit jaculatorias preces, gemitus, quodcunque agit, peragit, in nomine Domini agit. Qualis ſemper orare dicitur.

XLVIII. *In loco.* Omnis locus in ſe conſideratus dicendis precibus aptus eſt. Non locus loco ſanctior ſub N. Teſtamento. 1. Timoth. II. 8. Joh. IV. 21 - 23. Mal. I. 11. eſt. Attamen rectè eligitur à turba hominum ſemotus, in cultu privatiſſimo conclave, ut liberior converſatio cum DEO ſit. Matth. VI. 5. 6.

XLIX. *In libellis precatoriis.* Tyrones libellis precum à piis conſcriptarum rectè utuntur, modo, antequam eas, ut ſuas recitant,

perpendant contenta, num conveniant cum statu suo: num eadem vota revera mente concipiant. Quæ non conveniunt, rectè omittuntur, mutantur. Idem judicium valet de Ecclesiasticis precibus.

L. *In gradibus.* In quibus hactenus precum rectitudinem ostendimus, in iisdem varii gradus notari possunt. Quo plenior & vividior DEI notitia, etiam precatio perfectior est. Quo mens nostra attentior ad singula, quæ petimus, fugatis vagantibus cogitatis, eo rectior. Et sic quoad reliqua. Tyro precatur præeuntibus aliis: Legit libellos precarorios, sed, qui provectior, ex mente propria effundit vota. Ille meditatur, ut mens inflammetur. Hujus mens sacro quasi igne jugiter aut frequenter inflammata est mittitque flammas in cœlum. Ille contendit, ut precari queat. Hic ob operationem Spiritus fortiorem ad precandum compellitur. Major quoque gradus DEUM in nomine JESU Christi rogare quam generatim precari. Joh. XVI. 23. 24. Sed id nondum est in nomine JESU petere, si quis simpliciter effert nomen JESU Christi. Hinc plurimi petunt nec accipiunt. Omne verò, quod in nomine Christi rectè petitur, etiam accipitur.

LI. *Adminicula precum.* Ad precandum mul-

multum facit solitudo, animi tranquillitas. Precaturus itaque relinquat locum, in quo homines conversantur, colloquuntur. Matth. VI. 6. seponat, quæ habet negotia, avertat ab iis sensus & animum & colligat illos, quantum pote, intra se. Imitetur veteres, qui ante preces tempus dabant recollectioni mentis & sensuum. Tum cogitet quid facturus: scil. constituisse se in conspectum gloriosi DEI prodire atque illi necessitates suas proponere. Contendat igitur, ut firmiter persuasus sit adesse sibi DEUM, quæ persuasio quo fortior, tanto magis venerationem, fiduciam precanti ingenerabit. Proponat, quas novit, necessitates sive proprias sive proximi.

LII. *Qui nequit sensus & cogitata sua solo voluntatis imperio recolligere, ille offerat oculis & menti objecta ad precandum disponentia.* Talia sunt libri precatorii, Psalmi speciatim Davidis, Historia sacra, Evangelica. Ita animus, qui vagatur, reducitur, quanquam non semper.

LIII. *Incipientibus etiam utilis est vocalis Oratio, quæ ex corde profecta* auditur atque ita aures aliosque sensus figit revocatque à vagatione, denuo in cor intrat & sic medium est continuandi ac augendi studium precum.

LIV. *Sobrietas & vigilantia juvant precantes.* Nam uti crapulæ mentem aggravant, somnolentia vires ejus quasi sepelit; sic ex adverso solers & vigilans mens levis est & facile ad cœlestia evehitur. Unde tempus matutinum præ alio in usum precum commodum est. *Sobrii estote & vigilantes ad preces*, 1. Petr. IV. 7. Matth. XXVI. 41.

LV. *Intensurus preces jungat eas cum Eleemosynis & jejunio.* Matth. XVII. 21. Act. X. 4.

LVI. *Precatio pro Spiritu precum.* Luc. XI. 1. 13.

LVII. *Hæc media magis in manu nostra sunt. Sunt & alia, quæ in manu DEI.* (a) Afflictiones corporis & animi. Uti ignis incenditur collisione lapidum. (b) Maximè Spiritus precum Zach. XII. 10. sine quo rite precari non possumus. Rom. VIII. 26.

LVIII. *Quod verò de Medicamentis Medici notant, pro diversa hominum constitutione, ætate, alia & alia requiri aut saltem hac citiorem feliciorem que effectum relinquere in sanguineis, alia in phlegmaticis. Ita quoque se habet cum adminiculis precum.* Quare unusquisque attendat ad se ipsum & observet proprium statum. Quisque illis mediis utatur & ita precetur ut reperit se maximè igne cœlesti inflammari ac in DEUM tendere. Evenit quoque, ut media, quæ primo

primo tempore vim trahendi habuerunt, ſubſequenti vi illa careant. Id quod precanti ſignum eſſe poteſt velle DEUM, ut ad altiorem ſtatum evehatur, atque ita mediis, quæ ad eum ducunt, utatur. Igitur meditetur, aſpiret, contempletur, diſponat ſe, rapiatur ad precandum, qui meditando, aſpirando, contemplando, diſponendo ſe ad precandum vel vim Spiritus ſentiendo præclarum hunc cultum rectè DEO exhibet. Nec enim omnes pariter à DEO regimur, neque etiam in eodem gradu verſamur. Accidit ſæpius, ut auditor longe majorem Spiritûs precum menſuram habeat, quam Paſtor, imo hic ne quidem ullam menſuram habet. Quum verò ſuperbus hic dona ſpiritualia æſtimet ex externo munere, carpit, rejicit Spiritum, qui in auditore flat.

LIX. *Precibus ritè dicendis abſtant nonnulla præjudicia*, quæ breviter exprimam. I, *Orationem ex verbis ſelectis nitideque conſtructis æſtimare*. Hinc nonnulli à precibus abſterrentur, quod nequeant longas atque ad Rhetorum præcepta compoſitas preces promere. Illi verò, quibus verba commodè fluunt, precantium partes bene impleviſſe putant. Quum tamen fieri queat, ut in-

compta & varie interrupta Oratio DEO grata, ingrata verò fit, quæ longa ac compta est. Efficacissimæ DEOque gratissimæ aliquando preces breves erant, ficuti ex Evangeliis constat. Preces ex animo, non ex verbis, DEUS æstimat. Gemitus, aspirationes breves sed incensæ in corde, benignissimè exaudiuntur à DEO. Rom. VIII. 26. II. *Formulis receptis, speciatim orationi Dominica, constanter adhærere.* Nullibi Christus præcepit, ut Orationem Dominicam semper recitaremus, multo minus promisit illam sine animo dictam exauditum iri. Sic dicta est βαττολογία Ethnica, quam damnat Salvator Matth. VI. 7. Apostoli, ne quidem semel Orationem Domini fudisse leguntur: leguntur fudisse alias preces. Bis tantùm extat Matth. VI. & Luc. XI. sed aliis & aliis verbis. III. *Precari esse officium Pastorum.* In hoc præjudicio cœci confirmantur, quando vident Pastores hoc officium sibi *privativè* arrogare atque graviter succensere in Laicos, qui eundem cultum præsentibus aliis exhibent.

IX. *Ad precandum suadent, trahunt, compellunt sequentia motiva ab attenta mente pensitata.* Primò DEUS hoc officium à nobis poscit. קראני. *Invoca me.* Ps. L. 15. & quidem

dem semper ἀδιαλείπτως *indesinenter orate.* 1. Thess. V. 17. Luc. XVIII. 1. maximè si periculo implicamur rursusque emergimus. Ps. L. 15. *Imò in omni re gratias agite. Hæc enim est voluntas DEI in JESU Christo erga vos.* 1. Thess. V. 15. Deut. VIII. 10. Poscit autem officium hoc jure. Quando enim DEUS fons omnis boni atque potens depulsor omnis mali est, justissimum ut à Creatura tanquam talis agnoscatur adeaturque. Gloria, quæ sibi priva, à nobis extollenda est. Ps. L. 15. Nec poscit in suum sed nostrum usum. Vult enim ut ipsum solum invocemus, quandoquidem is solus in omnibus necessitatibus nos juvare valet ac vult. Homines, etiam boni, similes sunt cisternæ perforatæ. Sed DEUS est *fons vitarum.* Quicquid homini utile ac necessarium sive hanc sive futuram vitam sive corpus, sive Spiritum sive se sive proximum concernat, id omne DEUS habet largiturque rectè invocantibus. Matth. VII. 7. 8. Jacob. I. 5. Luc. XI. 13. Jacob. V. 16. Quando verò omnes boni cupidi sumus, quare non desideria expleturi mare hoc adimus? Quot ac quanta bona ex eo hauserunt fideles precatores Abrahamus, Moses, Samuel ac tot alii. Noli dicere hunc precum fructum his simi-

similibusque tantùm datum. DEUS idem mare omnibus creaturis est. Quicunque ea aviditate ac fiducia accedunt hausturi, eadem bona reportant. Omnes hi homines erant, utique ὁμοιοπαθεῖς *similibus affectibus* laborabant Jac. V. 17. Accedit quod sine precibus nihil jure possideamus. At dices: Ingentes opes sæpius possident, qui nunquam precantur, aut saltem non, uti oportet. Sed aliquando inopiâ premuntur assidui Oratores. Possident quidem sed nonnisi terrestria bona non Spiritum Sanctum ejusque mansura bona. Possident dein sed non jure, verum furto, aut saltem summa ingratitudine. Vel unde habent? An ipsi auctores sunt, agrorum veluti, domuum, argenti &c. Certè non. A DEO omnia sunt, quæ sunt. Si verò omnia à DEO, oportet rectè acceperint à DEO laudentque benefactorem. Qui verò non precantur, illi non rectè acceperunt nec quam debent gratitudinem testantur. Quanquam DEO sapienter ordinante fiat, ut, qui assidui in precibus sunt, vix habeant, ubi cum Christo caput reponant, habent tamen illi DEUM, JESUM Christum, Spiritum Sanctum. Hæc vero bona pretiosiora sunt, quam omnes gazæ mundi. Habent quoque

que bona terrestria necessaria & quidem animo contento, qui demum divites facit. Precibus non solùm inest utilitas sed dignitas. Ordo mendicantium summus est. Hujus Ordinis socii erant Reges, Pontifices, Prophetæ sapientissimi, fortissimi. Excellebant David, Moses, Samuel, Daniel aliique maximâ gloriâ conspicui Viri. Magno honori ducitur comparere coram Rege atque illi libellum supplicem tradere. Quantò majori coram Rege Regum? Hic jugiter exspectat homines, ut, quæ habent vota, coram eo effundant exaudianturque. Quanquam & hoc verum sit, quod non alii nisi honorificè vestiti DEUM in precibus adire & illum laudare queant. Sacerdotes suffituri comumnes vestes deponere, sacras induere tenebantur. *Laus nonnisi decet rectos.* Ps. XXXIII. 1. Solent Reges facundissimos Oratores constituere, qui sibi Panegyricos dicunt. Nec DEUS omnes admittit. Nonnisi admittit resipiscentiæ, sanctitatis, Candoris, aliorumque Spiritualium Ornamentorum studiosos. Paucis honorem exprimam. Qui in terris DEUM laudant atque pro acceptis beneficiis grates solvunt, eodem cum Angelis munere defunguntur defungenturque.

CAPUT

CAPUT VIII.

De
Professione & Conversatione Christiana.

Σύνοψις.

SEquuntur officia externa DEO debita. §. *I. II.*

Hæc definiuntur. §. *III.*
Dividuntur. §. *IV.*

Adversantur iis sequentia vitia.

1. *Ignorantia officiorum.* §. *V.*
2. *Contemtus officiorum externorum sub prætextu officiorum internorum DEO acceptorum.* §. *VI.*
3. *Officiorum externorum observatio illegitima.* §. *VII.*
4. *Qualis speciatim eorum, qui eam in Ore tantùm ponunt.* §. *VIII.*
5. *Aut in professione controversiarum.* §. *IX.*
6. *Vel qui impediunt alios externa Christianismi officia præstare.* §. *X.*
7. *Item qui officia hæc nimis contrahunt.* §. *XI.*
8. *Professio veritatum Evangelicarum coram porcis & canibus.* §. *XII.*
9. *Vis eorum, qui aliis suas opiniones obtrudunt.* §. *XIII.*
10. *Abnegatio veritatum Theoreticarum & Practicarum cogentibus superioribus,* §. *XIV.*

Horum vitiorum fontes investigantur. §. *XV.*

Ostenditurque eorum turpitudo. §. *XVI.*

Subsequuntur ipsa officia externa. §. *XVII.*

Eorum-

Addun-

Adduntur motiva, veluti voluntas DEI. §. XXXIX. XLII.
Salus nostra. §. XL.
Commodum ac damnum. §. XLI.
Exempla. §. XLIII.

****

§. I.

Diximus de officiis internis, quæ DEO debemus: dicendum superest de externis.

II. Homo similis arbori, fonti. Qualis arbor intus, talis extus. Arbor bona fructus bonos profert. Fons saluber aquam salutarem effundit. Par ter *homo, qui DEUM intus cognoscit, obedientiâ, reverentiâ, amore, fiduciâ, precibus prosequitur, cognitionem DEI obedientiam, reverentiam, amorem, fiduciam extus testatam faciet. Ex plenitudine cordis os loquitur,* reliqua corporis membra agunt. Aut hypocrita est, qui aliud in corde clausum, aliud in lingua reliquisque externis actionibus apertum habet.

III. *Externa adeoque officia erga DEUM nihil aliud sunt quam manifestatio internorum, quæ verbis & factis, seorsim aut conjunctim fit.*

IV. Externa hæc officia Methodo generaliori aut specialiori deduci possunt. Nos priorem tenebimus. Quâ cognitâ specialia officia facile cognoscuntur.

V. *Atrans-*

V. *A transgreſſione horum officiorum incipimus.* I. *Transgrediuntur, imò transgredi debent officia externa omnes illi, qui interna non intelligunt, nec præſtant.* Quemadmodum arbor interno bono ſucco deſtituta externos ſalutares fructus edere nequit; ſic nec homo externè pius eſſe valet, qui non internè pius verè eſt. Omnium ergo λεγομένων Chriſtianorum officia externa, quamcunque ſpeciem pro ſe ferunt, non ſunt officia, quæ erga DEUM exhibentur. Eſt vanus cultus Matth. XV. 7-10. Vaniſſimi ſunt illi Doctores & Paſtores, qui Auditores primò & præcipuè ad officia externa (quæ aliquando ne quidem officia ſunt) hortantur, urgent, compellunt: Quique bonos Chriſtianos habent, diligunt, laudant externorum officiorum ſtudioſos, æmulos. Is, qui ἐν τῷ φανερῷ *in manifeſto* Judæus, non eſt Judæus; Sic non Chriſtianus. Par enim ratio.

VI. II. *Ex adverſo transgrediuntur & illi, qui ſub prætextu, quod cultus DEI à mente humana, interno amore &c. dependeat, officia externa negligunt, vilipendunt, mundo ſe accommodant.* Ajunt; **Es kommt nicht auf das äusserliche an: Es kommt auf das Hertz an.** Sed qualis homo intus, talis etiam extus eſſe debet. Fides & cultus

cordis operibus demonstrandus est. Jacob. II. 18.

VII. III. *Qui quidem officia externa præstant sed non rectè.* Quod fit variè. A. Veluti qui ex Professione & Conversatione Christiana quæstum faciunt, quod maximè scelus mercenariorum est: Etiam eorum, qui dum observant Magistratum aliosque in eminentia constitutos pietatem æstimare ac pietatis cultores fovere, de pietate passim sermonem spargunt, & pro pietate militant, ut eorum oculis placeant. B. Qui consuetudine tanquam flumine abrepti, officia pietatis externa, quæ recepta sunt, sine animo peragunt. C. Qui contra propriam conscientiam certa religionis dogmata profitentur, sacra adeunt, S. Cœnâ fruuntur vi externa coacti.

VIII. IV. *Qui officia pietatis in ore, non simul in opere, constituunt.* Adeoque disjungunt, quæ DEUS conjunxit. Putant officiis externis satis factum esse, si, quam tenent religionem, ore profitentur. Quasi verò DEUS ex corpore solùm os sibi sacrum velit, non simul reliqua membra. Quo fundamento te obligatum putas ad professionem veritatis, eodem ad præstationem præceptorum Christi. At libenter

distin-

distinguimus, quia professio nobis est facilis, maxime in Regione, loco, ubi magistratus ejusdem professionis socii sunt, sed observatio præceptorum carni molestissima est.

IX. V. *Qui professionem Religionis Christianæ collocant in certis quibusdam dogmatibus, quæ ipsis cum alia secta controversa sunt vel subtilibus thesibus, aut saltem ex his Religionem suam maximè æstimant.* Reperies, qui Religionem suam professuri profiteantur dogmata controversa de S. Cœna, Electione, &c. An verò in his consistit Christianismus aut primò & præcipuè? Christianismus consistit in Resipiscentia & fide per Charitatem efficaci.

X. VI. *Qui professionem veritatum Evangelicarum ac conversationem sanctum officium externum universale DEO debitum esse dicunt, commendant, qui tamen ipsi committere nolunt, ut omnes officium hoc ex animi sui sententia liberè profiteantur, atque se invicem ad sanctam vitam hortentur. Imò potius graviter succensent in tales atque subinde à noxa illis inferenda vix abstinent.* Sed tales nesciunt, quid dicunt & turpiter sibi obloquuntur. Si officium est veritatem, quam quis corde tenet, profiteri, tum quoque

 per-

permittendum eſt, ut præceptum divinum præſtetur.

XI. VII. *Qui profeſſionem veritatum non ſolùm ad paucas perſonas reſtringunt, ſed etiam ad certa loca*, templa *veluti & auditoria.* Qui hinc interdicunt ſocietatibus, ſacra legitime tractantibus. In conviviis non eſt locus differendi de rebus ſacris. Non in conſortiis. Quare non? An profeſſio veritatum ſanctarum malum quid? Si non, quare ergo prohibes? DEUS vult ut paſſim locorum invocetur, laudetur. Tu verò prohibes. Permittis conventicula carni, luxuriæ & omnibus ſceleribus conſecrata ſed conventus privatos domeſticos in nomine Chriſti factos prohibes. Si jure habes, quod reprehendas in conventibus, modo Evangelico rectè tollis ſed propter abuſum, quem ſæpius fingis, non licet uſum, imo voluntatem DEI tollere.

XII. VIII. *Qui veritates Evangelicas, ſanctas canibus & porcis proponunt.* Matth. VII. 6. hoc eſt hominibus beſtiis ſimillimis, affectu odii raptis, aut ebriis. Ex tali enim profeſſione non tantum nullus uſus ſed varium damnum.

XIII. IX. *Qui quas ipſi habent veritates non ſolùm coram aliis profitentur, ſed & Auditoribus*

toribus vi majori aut minori, prout quis ea valet, obtrudunt. Chriſtiani, ſpeciatim Paſtoris, munus eſt profiteri, non verò cogere. Coactione nulla veritas placet. Animus magis alienatur. Aut ſaltem turpes hypocritæ conſtituuntur.

XIV. X. *Qui veritates Chriſtianiſmi ſive theoreticas ſive practicas, ſive ore ſolùm ſive vita ſimul abnegant, jubente, cogente Magiſtratu politico aut Eccleſiaſtico.* Matth. X. 33. Jam illud turpe, ſi quis falſam Religionem, quam tamen veram putat, abnegat, longe turpiſſimum ſi veram, de qua in conſcientia convictus eſt, ob metum negat. Tales reperiuntur illis temporibus, quibus conſcientiarum Tyranni ſæviunt.

XV. *Vitia, quæ recenſuimus, varios fontes habent. Hic ſolum notamus tres:* I. *Defectum veri cultûs interni.* Ubi hic verè ſe habet, externus deficere nequit. Uti aqua fluxum vel vi quærit, & obſtacula perrumpit, ſic verus cordis cultus. II. *Præjudicia:* Qualia ſunt: Officia externa abſolvi profeſſione oris, frequentatione cœtuum, obſervatione ceremoniarum: Profeſſionem fidei Chriſtianæ conſiſtere in probatione plurimùm cœca dogmatum, quæ Religio, in qua quis natus, tenet atque Zelo adverſus

ſocios aliûs Religionis: Profeſſionem eſſe certarum tantum perſonarum, alligatam quoque certis locis ac temporibus. III. *Maximè tyrannidem ſubtiliorem aut craſſiorem ſtatûs Eccleſiaſtici aut Eccleſiaſtici & Politici ſimul.* Hæc non permittit, ut DEUS ex cordis illuminatione, motu, inclinatione colatur. Loquendum eſt ex præſcripta formula. Licet cum proximo jocari, ludere, ſaltare, debachari, pugnare, non verò juxta conſcientiam ſuam de rebus divinis loqui, ſcripturam legere, precari. O miſer Chriſtianiſmi ſtatus! Dura eſt corporis ſervitus ſed quam durior animæ?

XVI. *Maxima vitiis his turpitudo ineſt.* DEUM, qui omni gloria digniſſimus eſt, quem etiam beſtiæ honorant, non honorare, aut ore ſolùm & genu, non animo, imo non licentiam habere honorandi, ſaltem juxta lumen & motum cordis, vel modo ſolùm mendaci, & qui conſcientiæ repugnat: Ita Spiritus in homine extinguitur: Spiritui S. reſiſtendum eſt. Perit omne ſtudium cœleſtia indagandi. Ignorantia rerum divinarum plantatur, rigatur. Quotus quisque enim eſt, qui ſe exercebit in cognitione, de qua ſine gravi damno loqui non licet? Quis meditabitur de optima

DEUM

DEUM colendi ratione, cui cultus talis interdictus eſt. An non hoc eſt Regnum Cœlorum negare? Hominum introducere? Fidei hominum dominari? ſe ſupra caput Chriſtum ponere? Eccleſiam hypocritis aut ſaltem membris, quæ cultum DEI ignorant, polluere, onerare. Hinc miſerrimus cœtuum Chriſtianorum ſtatus eſt.

XVII. *Sequuntur officia erga DEUM externa.* Quæ homines juxta verbum DEI, lumen & motum cordis externis ſignis ad DEUM glorificandum, proximum ædificandum, legitimè exhibere tenentur.

XVIII. *Uti omnia officia, quæ DEO debemus, ſic ſpeciatim externa poſcunt voluntatem divinam.* Servus, qui officium hero præſtat, facit, quod herus vult, non quod ipſe vult. Hanc ſuam voluntatem verò DEUS hominibus per leges externas, internas, naturales, ſupernaturales revelat, Rom. II. 14. 15. Jer. XXXI. 33.

XIX. *Præſupponunt officia externa cor illuminatum perſuaſumque de voluntate divina.* Nam quod non ex fide provenit, illud peccatum eſt, Rom. XIV. 23. Quanquam actio in ſe bona eſt, laudabilisque habetur, mala tamen, quando animus de ejus æquitate, juſtitia, ambigit, quemadmodum

ex citato capite conſtat. Hinc Paulus conjungit fidem cordis & profeſſionem oris. Rom. X. 9. 10. quia neque fides ſine profeſſione, neque profeſſio ſine fide eſt. Fides cordis eſt quaſi radix & ſuccus internus ſed profeſſio eſt fructus externus, qui demum bonam arborem declarat. Docet quoque res ipſa. Vel finge profeſſionem aut aliam actionem, quæ cum corde non convenit aut quam cor non intelligit. An illa DEO placere poſſet?

XX. *Officia externa conſiſtunt vel in cunctis actionibus vel in actionibus, quæ DEUM ejusque cultum ſpecialiter concernunt. Illo modo:* Omnes actiones noſtræ externæ, quocunque nomine veniunt, domeſticæ, artificiales, civiles &c. ad gloriam DEI comparatæ poſcuntur. 1. Cor. X. 31. Col. III. 17. Matth. V. 16. *ſancti eſtote* ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ *in omni converſatione* 1. Petr. I. 15. & II. 12.

XXI. *Actiones, quæ ſpecialiter cultum DEI concernunt, ſunt profiteri fidem, quam quis animo tenet, cum proximo convenire ad mutuam ædificationem, quod fit inſtitutione, colloquio, precibus, cantu, teſſerarum communionis ſacræ uſu.*

XXII. *Profeſſio requirit Candorem animi.* Qui profitentur, conveniunt, profitentur & con-

& conveniunt animo ſimplici & candido, non proprium honorem quæſituri aut irritaturi proximum ſed præcepto divino ſatisfacturi, DEUM glorificaturi, ſe & proximum ædificaturi.

XXIII. *Requirit prudentiam.* Prudens circumſpicit omnia & ex iis colligit, an profitendum, & quid. Profeſſio, quæ editur, utilis aut neceſſaria requiritur. Quæ nullum uſum præbet, imo quæ potius noxia, rectè omittitur. Attendendum itaque ad circumſtantias, Auditores, cor proprium. Exemplum ſit Chriſtus, qui aliquando ſiluit: aliquando receſſit: aliquando profeſſus eſt & tum quidem, quando Auditores, ſaltem ex parte, profeſſionem ſuam attentè audiverunt.

XXIV. *Requirit Manſuetudinem.* Hæc ſinit nos præſenti animo eſſe. Efficax eſt apud Auditores, aliquando apud hoſtes. Saltem in cauſa, ne inconſideratè loquamur & inconſiderato ſermone iram hoſtium augeamus. 1. Petr. III. 15.

XXV. *Requirit conſtantiam & fortitudinem animi.* De rebus divinis, piis, rectè quidem loquimur tempore & loco, quo tales ſermones æſtimantur, diliguntur aut ſaltem tolerantur. Sed & quando ejusmodi pro-

fessores ingrati, contemti sunt. Nulla pœna ad veritatem abnegandum vel etiam silentio involvendum, si ejus rationem reddere tenemur, debet nos permovere.

XXVI. *Professionis fidei dantur gradus:* Cui minor rerum divinarum notitia, ejus etiam professio minor. Qui notitia excellit, ille quoque excellentem professionem edere potest. Meticulosi sunt alii & quanquam non abnegent veritatem, tamen eam variè celant. Alii liberè profitentur, quod candide credunt, sed non prudenter fidem cordis enarrant. Optimè se habet professio, quæ testimonium de perspectis divinis veritatibus animo candido, mansueto, libero, constanti, forti, prudenti perhibet atque illud, si gloria DEI ac necessitas poscit, omni modo, vel ipsa morte, obsignat.

XXVII. *Conventus sacer est, si duo aut plures cultûs & ædificationis gratia conveniunt.*

XXVIII. *Conventus ergo non æstimandus est ex numero, aut externis, loco commodo, tempore certo &c. sed ex scopo & usu.* Duo tresve in nomine Christi congregati faciunt cœtum Christianum Matth. XVIII. 20. Sed mille, qui non ita congregati, cœtum Christianum non constituunt, quanquam externa optimè se habere videantur.

XXIX. *Is*

XXIX. *Is cœtus aliis præferendus, in quo DEUS magis glorificatur, & qui illi interſunt magis ædificantur*, ſive nunc ex paucis ſive ex multis conſtet.

XXX. Et rationes & experientia probat, numeroſos conventus tantam ædificationem non adferre, quantam numero pauciores.

XXXI. *In Nomen Christi congregari duo poſtulat. Horum primum eſt: Congregatio Christo ejusque legibus adverſari non debet.* Adverſatur autem, quando quidam dominantur aliorum fidei, alii autem humanæ autoritati ſubjiciuntur: Quando Cœtus ex Ethnicis, publicanis, ſcortatoribus, avaris, ebrioſis, conviriatoribus, ſcandaloſis, peccatoribus (non hypocritis, qui DEO relinquendi) ſed manifeſtè talibus conſtant nec Diſciplinâ Eccleſiaſticâ purgantur. Matth. XVIII. 20. 1. Corinth. V. 11.

XXXII. *Alterum requirit, ut congregatio cum inſtitutione Christi conveniat.* Convenit autem, quando Chriſtus non verbis ſed verè & re ipſa Dominus habetur, atque unicè ejus gloria quæritur. Quando ergo verbum & Spiritus Chriſti cœtum regnant: Quando cultus, precatio, cantus, in Spiritu & veritate fit. Joh. IV. 21 23. Quando,

qui

qui præſunt, inculpatam vitam ducunt, atque Epiſcoporum requiſita, quæ non ſolùm ut decora & utilia ſed tanquam neceſſaria proponuntur. 1. Tim. III. 2. tenent. Quando membra cum DEO & JESU Chriſto per fidem & ſanctitatem, ſecum invicem per charitatem conjuncta ſunt atque quæ habent dona ad mutuam ædificationem conferunt. Quando nemo alterum contemnit, odio habet, in miſeria deſerit, ſi ipſum ex ea liberare valet. Quando ergo illi ſigna unionis & communionis cum Chriſto & corpore ejus accipiunt, qui revera cum Chriſto & Eccleſia uniti ſunt.

XXXIII. *Uti cœtui liberum eſt ſocium admittere, retinere, excludere, ſic homini liberum nomen cœtui dare aut etiam adimere.* Populus Chriſti ſpontaneus eſt: Pſ. CX. 3. Quicquid in Religione coactum eſt aut ob metum aut patrocinium hominum fit, id irreligioſum eſt. Et quem habet uſum cœtus ex membro invito? nullum prorſus ſed potius damnum, ſtultum adeoque eſt talem ſocium habere velle, qui eſſe non vult: unde & ipſe & cœtus non niſi damnum accipit. Prudenter itaque cœtus eum, qui leges violavit & increpationes poſthabuit, excludit & abire volentem admoni-

tione

tione una aut altera facta dimittit. Prudenter quoque is à cœtu ſe ſeparat, in quo DEO juxta voluntatem ejus & conſcientiam ſuam ſervire nequit. Eſt enim frequentatio cœtûs officium externum, quod homo DEO debet. Officium verò eſſe nequit, quando non licet DEUM eo, quem inſtituit, modo colere.

XXXIV. *Itaque aſſociaturus ſe cœtui Chriſtiano attendit ad requiſita ejus.* Qui cœtûs eſſentialia requiſita non habet nec membro permittit, ut DEO & Redemtori ſuo ritè ſervire queat, ille rectè nomen ſuum ei negat. Aſſociat ſe verò illi, qui ſignis Eccleſiæ Chriſtianæ inſignis eſt.

XXXV. *Felix is, qui membrum eſt talis cœtus, qui proximè ad typum ſuum & exemplar Apoſtolicæ Eccleſiæ accedit.* Qui adeoque omne & ſolum verbum DEI, omnia & ſola præcepta divina, omnem & ſolum cultum Evangelicum tenet, inculcat, obſervat.

XXXVI. *Quando tamen cœtus eſſentialia Chriſtianiſmi tenet atque in eo DEUS coli poteſt juxta conſcientiam, etiam illi intereſſe licet, quanquam à pluribus nævis mundus non ſit,* tum maximè ſi ſcandalum evitaturus id ſecum conſtituit agitque, ut hic cœtus ad formam Chriſti propius accedat. Si is

adeo-

adeoque in illo cœtu doctrinam Chriſti liberè profitetur, nævos monſtrat, reprehendit, ſe primo à ſordibus purgat, tum quoque debito modo ſolicitus eſt, ut etiam ſocii purgentur. Talis rectius manet in ſuo cœtu, quàm quod illum relinquat.

XXXVII. *Officia hæc externa rite præſtaturis ſtudendum, ut excellentem cognitionem Chriſtianiſmi nanciſcantur.* Nemo profiteri poteſt, quod ignorat. Nemo rectè profiteri valet, niſi cui ſolida notitia eſt. Tempore perſecutionum variè periclitantur ignorantes res divinas, ſive profiteantur ſive non. Profeſſio ſine ſolido fundamento facilè alio tempore in negationem abit. Solidior notitia non ſolùm bonum cœtus membrum conſtituit, ſed etiam cœtui prodeſt informatione, adhortatione, dehortatione. *Studendum dein ut illuſtres confeſſores, Martyres, JESUM Chriſtum, Stephanum* (cui uſui inſerviunt Martyrologiæ) *attentè conſiderent atque, ſi neceſſe, eorum veſtigia exprimere proponant. Cœtum quæſiturus, reformaturus legat, penſitet formam, quam DEUS de Cœtibus Chriſtianis in verbo ſuo publicavit, quamque primi Chriſtiani præ ſe tulerunt.*

XXXVIII. *Maximè ſtudendum, ut à præjudiciis, quæ in officiis externis exhibendis ſerpunt,* libe-

liberetur. Qualia ſunt (*a*) cultum DEI in corde conſiſtere. Eum externis ſignis teſtandum non eſſe, ceu quod Phariſæorum. (*b*) Profeſſionem Chriſtianiſmi in verbis, non ſimul in factis, conſiſtere. (*c*) Sectæ ſuæ dogmata neceſſariò vera eſſe, inveſtigatione, probatione non indigere. Horum adeoque profeſſionem eſſe profeſſionem doctrinæ Chriſtianæ. (*d*) Membri cœtûs officium eſſe nonniſi templo intereſſe, ſimpliciter credere, quod Paſtor ait. (*e*) Ejusdem officium eſſe pro ſuo cœtu adverſus quosvis alios militare, eos odiſſe, converſationem cum illis non habere, errores graves iis imputare. Præjudicia ſunt, uti communia, ſic venenata.

XXXIX. *Ultimò expendantur ſequentia motiva.* I. Vult enim DEUS, ut populus ſuus veram fidem profiteatur, etiam coram hoſtibus. Iſraël non ſolùm in Canaan ſed & in Babylonia fidem ſuam in verum DEUM teſtatam facere debebat Jer. X. 10. 11. 12. Idem Chriſtianorum, non ſolum Doctorum ſed & quorumvis aliorum officium eſt, quo maximè pertinet. 1. Petr. III. 15. 16. *Eſtote ſemper parati ad defenſionem erga omnem, qui rationem exigit ſpei, quæ in vobis cum manſuetudine & metu, habentes conſcientiam bonam.*

Exigit quoque hoc ipſum commune fidelibus ſacerdotium. 1. Petr. II. 9. tot alia Scripturæ loca, ac mos in primitiva Eccleſia.

XL. II. *Uti facit ad gloriam DEI, ſic quoque propriam.* Qui potentis Regis ſubditi ſunt, illi, quanquam in alieno regno verſantur, non erubeſcunt ſe ejus ſubditos declarare, ejus gloriam quærere. Quantò minus pudor faciem noſtram occupare debet profitentes DEUM ejusque veritates. *Non pudet me Evangelii Chriſti: Eſt enim potentia DEI ad ſalutem omni credenti.* Rom. I. 16. Nam quis Chriſtus? DEUS, Rex Regum, ſedens ad dextram Patris. Quale Evangelium ejus? Cœleſte, refectum ſapientiâ, prudentiâ, ſanctitate, amore, caſtitate. Omnis, qui ei credit, ex regno tenebrarum in Regnum lucis transfertur. Ex filio Diaboli filius DEI fit. An ergo quicquam ei ineſt, cujus nos pudere debet? Profitentes verò ejusmodi Evangelium glorificamus DEUM, ſive gloriam, quæ in DEO, manifeſtam facimus. Profitentur homines mundani, quam æſtimant vanitatem, impietatem: Phariſæi externum, hypocriticum cultum. Annon Chriſtiani, qui DEUM verè cognoſcunt, notitiam hanc profitebuntur?

XLI.

XLI. III. *Profeſſio quoque utilis ſed abnegatio noxia eſt. Nam quicunque me confeſſus fuerit coram hominibus*, ait Salvator, *etiam ego eum confitebor coram Patre meo in cœlis, at quicunque me abnegaverit coram hominibus, abnegabo & ego eum coram Patre meo cœleſti.* Matth. X. 32. 33. *Quem mei & ſermonum meorum pudet, ejus quoque filium hominis pudebit, quando venturus in gloria ſua & Patris & ſanctorum Angelorum.* Marc. VIII. 38. Utilis eſt profeſſio his in terris: Solet DEUS Spiritûs S. dona illi augere, qui iis rectè utitur, nec ea ſepelit, præprimis illis, qui citati coram ſynagogis &c. veritatem intrepidè fatentur, quales aſſiſtentiam divinam magis experiuntur, quam ulla alia ratione Joh. IX. Utilis quoque aliis, qui eam audiunt, aliquando hoſtibus: Veritas enim divina lux eſt, quæ illuminat corda eorum, quæ non excœcata à Principe tenebrarum. 2. Cor. IV. 2-5. Fit quoque, ut impietatis graviſſimi errores diſpellantur. 1. Petr. III. 16. Utilis tandem in altera vita, nam qui fidem Chriſti, quam corde credit, confitetur, is ſalvabitur. Rom. X. 9. 10.

XLII. IV. *DEUS, qui vult ut eum ore profiteamur, vult quoque ut ſimul facto. Converſationem veſtram inter gentes pulchram ducite, ut,*

qui obloquuntur vobis, tanquam maleficis ex bonis operibus videant & laudent DEUM in die visitationis. 1. Petr. II. 12. Si hæc ad priorem non accedit, argumento est, quod prior veri nominis professio non sit. Conjuncta demum DEO gloriosa & nobis salutaris est.

XLIII. V. *Imitandi sunt fideles omni tempore.* Christus caput fidelium nihil exigit à nobis, in quo non præcesserit. *Ille sub Pontio Pilato bonum testimonium perhibuit.* Ille quoque doctrinæ, quam professus erat, simillimam vitam duxit. Ille testimonium passionibus & morte confirmavit. Hunc nubes sanctorum antecesit ac secuta est. Hebr. XI. XII. Quare sequamur Principem & consummatorem fidei JESUM ac nubem testium.



CAPUT IX.

DE

Cognitione Proximi.

Σύνοψις.

N*Exus officiorum erga DEUM & proximum summus est.* §. *I.*	*Officia erga proximum variant.* §. *II.* *Nam & rationes variant.* §. *III.*

Variant

Variant quoque gradus officiorum. §. *IV.*
Recensentur officia erga proximum. §. *V.*
Quorum primum cognitio proximi est. §. *VI.*
Proximus est omnis homo. §. *VII.*
Consideratur vel ut homo generatim vel ut Christianus speciatim. §. *VIII.*
Illô modô, ut compos corporis & animæ. §. *IX.*
Adeoque ut qui indiget mediis ad vitam sustentandam. §. *X.*
Porrò ut frater & consanguineus noster. §*XI.*
Insuper ut opus, oves, progenies & liberi DEI. §. *XII.*
Denique ut variè imperfectus. §. *XIII.*
Hôc, ut Christianus, quem cœlestis Pater summè dilexit cuique maxima bona offert, quique membrum Ecclesiæ Christi est & cum DEO per fidem conjunctus. §. *XIV. XV.*
Satis fit objectioni. §. *XVI.*
Hinc nunc constat, quanam vitia cognitioni proximi contraria sint. §. *XVII.*
Quædam eorum in defectu. §. *XVIII.*
Alia in excessu peccant. §. *XIX.*
Fontes horum vitiorum deteguntur. §. *XX.*
Enormitasq; eorum monstratur. §. *XXI.*
Sequitur ipsum officium seu cognitio proximi. §. *XXII.*
Cujus vi ita tractandus est, uti cognoscitur vel in genere ut homo vel in specie ut Christianus. §. *XXIII. XXIV.*
Quo plura attributa proximo insunt, eo plura officia ei debeo. §. *XXV.*

Indicantur tria media proximum cognoscendi. §. *XXVI.*
Et sex motiva. א. *Æquitas.* §. *XXVII.*
ב. *Natura vera cognitionis proximi.* §. *XXVIII*
ג. *Natura proximi in sacris notata.* §. *XXIX.*
ד. *Fundamentum omnium officiorum debitorum erga illum.* §. *XXX.*
ה. *Gloria DEI.* §. *XXXI.*
ו. *Similitudines.* §. *XXXII.*

**********:**:**********

§. I.

CUm officiis erga DEUM conjunctissima sunt erga proximum. Nemo illa exhibere valet, quin simul hæc. Nec hæc, si non illa. Hinc Christus amori proximi non solum proximum post amorem DEI locum dat sed & simile præceptum vocat Matth. XXII. 39. Paulus: *Qui proximum diligit, is legem implevit.* In amore proximi lex divina ἀνακεφαλαιοῦται *recapitulatur* Rom. XIII. 8. 9. Uti ergo in summa numeri minores sic in amore proximi officia erga DEUM & se ipsum continentur. Johannes ait: *Si quis dicit se DEUM diligere, odio verò habet proximum, ille mendax est. Nam qui non diligit fratrem suum, quem vidit, quomodo diligere potest DEUM, quem non vidit.* 1. Joh. IV. 20. Unde stultitia eorum cognoscitur, qui quanquam proximum contemnant, vexent, nihil-

nihilominus opinantur se DEUM diligere. Id falsissimum est.

II. *Officia erga proximum varia sunt.* Distingui possunt in communia & specialia. Illa quæ omni proximo: Hæc quæ proximo in certo statu aut relatione erga proximum debemus: Qualia sunt mutua officia Magistratuum & subditorum, Parentum & liberorum, Pastorum & Auditorum, Herorum & servorum, de quibus heic non dicturi sumus.

III. *Officia variant, quia eorum rationes variant.* Sunt enim vel perfectiones, quæ in proximo, uti spiritualitas mentis, sapientia &c. vel beneficia, quæ ex iis in nos redundant, uti educatio liberorum vel inopia, quam pro viribus supplere tenemur, fundamenta officiorum nostrorum.

IV. *Prout nunc rationes officiorum gradu differunt*, uti major perfectio, majus beneficium, major inopia, *sic gradu differunt officia.* Majorem reverentiam Magistratui debeo, quam privato &c.

V. *Officia communia sunt*: Cognitio, justitia, veritas in colloquio, pacis studium, honos, charitas, liberalitas.

VI. *Primum, quod proximo debeo, cognitio ejus est.* Sivè cognoscere debeo, quis sit

proximus. Si novi; quis ille sit, exinde sponte fluunt alia officia, veluti *justitia*, qua ipsi suum relinquo, tribuo: *Veritas in colloquio*, non aliud in sermone effertur quam quod verum: *Studium pacis*, quo proximus in tranquillo statu relinquitur vel extra illum constitutus demto omni, quod inimicitiæ causa est, ei restituitur: *Honos*, quo æstimo bonum, præclarum, quod in proximo deprehendo. *Charitas*, qua proximo sincero cordis affectu favemus, hinc movemur ad benefaciendum: si beneficiis nostris indiget, juvatur, recreatur, unde surgit *liberalitas*, vel etiam corripimus malè & sibi noxiè agentem, unde oritur *correptio fraterna*.

VII. *Proximus*, cui officia debemus, *est omnis homo*. Omni homini debemus justitiam, veritatem, honorem &c. Præcepta secundæ tabulæ officia præscribunt erga omnem hominem. Neminem enim licet occidere &c. Hebræis hinc dicitur רע qui nobiscum in hoc orbe, tanquam communi pascuo, *alitur*. Paulo dicitur ἕτερος *alius* Rom. XIII. 8. quicunque ille sine discrimine ætatis, sexûs, conditionis, Religionis, amicitiæ, inimicitiæ. Christiani clarissimè de latissima hac vocabuli *Proximus* acceptio-

ceptione in sacris informantur. Luc. X, 29 - 38. Judæo samaritanus proximus est, qui aliam Religionem sectatur. Uti hodie, sic olim, inter diversas Religiônes odium, inimicitia erat. Sed Christus vult, ut proximus habeatur diligaturque, qui aliam Religionem profitetur. Matth. V. 44. *Diligite hostes vestros, benedicite illis, qui vobis maledicunt, benefacite illis, qui vos odio habent, & intercedite pro illis, qui vos lædunt & persequuntur.* Dilectio eaque realis majus officium est quam justitia. Quando vero majus officium proximo, etiam hosti, debeo, quantò magis minus.

VIII. *Proximus consideratur vel generatim ut homo, vel speciatim ut Christianus.* Quod ideo notandum, quia pro varia consideratione variant officia. v. supra §. IV. Cui plus inest, ei plus debeo. Hinc Christiano magis debeo quam quem simpliciter ut hominem considero. Quod homini inest, meque ad officia obligat, id Christiano inest, sed non vicissim. Unde plus debeo Christiano. Et quando inter Christianos discrimen est, hinc rursum sequitur, quod Christiano, qui magis de Christo participat, magis debeam, quam qui minus.

IX. *Proximus, qui consideratur, ut homo, considerandus est ut compos corporis & animæ:*

Corporis artificiosissimi, facti ad animæ serviendum, atque ut esset templum Spiritûs S. Animæ vero spiritualis naturæ, instructæ facultate percipiendi, judicandi, ratiocinandi, volendi, qua à bestiis distinguimur. His partibus omnis homo constat. Hæ vero partes essentiales nobilissimæ sunt, cum quibus aliæ, quæ tamen sæpenumero magni æstimari & illis præferri solent, nullatenus comparari queunt, uti color, statura vel, quod longe minus, elegans vestis, pecunia. Quando verò omnes homines quoad nobilissimas partes conveniunt, disconveniunt quoad minores, accidentarias, tantum discrimen inter homines non constituendum est: Omnibus illa officia præstanda sunt, quæ fluunt ex essentialibus illis partibus.

X. *Quoniam vero corpus ita à Creatore formatum, ut indigeat cibo, potu, vestitu, domicilio, hinc porrò constat hominem considerandum esse, cui usus mediorum horum ad vitam necessariorum permittendus, dandus sit.* Unde Creator Adamo & omnibus ejus posteris, non uni solùm aut alteri, orbem hunc terrestrem possidendum & fruendum dedit.

XI. *Considerandus insuper homo ut frater & consanguineus noster.* Fratres sunt, qui eos-

dem

dem Parentes habent: Consanguinei sunt, qui ex eodem sanguine ortum trahunt. At omnes homines eosdem Parentes, quanquam non proximos, Adamum scil. & Evam habent. *DEUS fecit* ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων *ex uno sanguine omne genus humanum* Actor. XVII. 26. adeoque consanguinei sunt Christiani, Judæi, Turcæ, Barbari, pauperes, divites &c. Jura igitur, quæ ex consanguinitate fluunt, omnibus præstanda sunt.

XII. *Considerandus præterea homo, ut opus, oves, progenies & filii DEI. Scitote, quod ipse Jehova DEUS nos fecerit & non nos nos ipsos: Populus ejus & oves pascui ejus.* Psſ. C. 3. *DEI progenies* sumus Actor. XVII. 28. Quibus verbis Paulus etiam gentiles includit. Hæc σχέσις multum existimationis, honoris, charitatis homini conciliabit. Solet filius divitis, Principis, æstimari, diligi &c. Sed DEUS ditissimus, potentissimus Rex Regum est; Hujus cœlestis Parentis liberi omnes homines sunt.

XIII. *Considerandus porrò ut mortalis, variè imperfectus quoad scientiam, potentiam, bonitatem, dependentiam.* Quæ imperfectiones ideo notandæ sunt, ne talia officia imperfecto homini exhibeantur, aut ab eo bene-

M 5 ficia

ficia exſpectentur, quæ cadunt nonniſi in perfectiſſimum ens.

XIV. *Atque ita omnes homines conſiderari poſſunt, debent. Præter hanc generalem conſiderationem eſt alia ſpecialior, qua homo ut Chriſtianus habetur.*

XV. *Homo, qui conſideratur ut Chriſtianus, conſiderandus tanquam is* (1.) *quem cœleſtis Pater tantopere dilexit, ut pro illo filium ſuum traderet, in illum Spiritum ſuum mittere conſtituerit.* (2.) *cui magna & precioſa promiſſa,* ſapientia, ſanctitas, gaudium, breviter dicam divina natura & æterna vita *ſub conditione reſipiſcentiæ & fidei Evangelio habendæ offeruntur.* (3.) *Qui ſe ſeparat ab omnibus, qui Evangelium Chriſti in dubium vocant, rejiciunt, adjungit vero ſe illis, qui fidem ſuam in Chriſtum profitentur, cum quibus unum externum corpus facit.* (4.) *Qui verè reſipiſcens & credens in Spiritu cum Chriſto, Patre & Spiritu S. unitus eſt: Qui membrum corporis myſtici adeoque cum fidelibus, Prophetis & Apoſtolis, triumphantibus in Cœlo, militantibus in terra conjunctiſſimus.* In qua unione uti ſummus honos, ſic ſumma quoque felicitas conſiſtit.

XVI. *Dicis: dicta non quadrant in omnes Chriſtianos. E. etiam officia, quæ ex allatis fluunt,*

fluunt, non omnibus Christianis præstari queunt. Præsta ea, quæ fluunt ex relationibus, quæ unicuique competunt. Priores verò omnibus Christianis communes sunt. Cave quoque, ne sine solida ratione quempiam verum Christianum esse neges, qui talis est. Peccat quidem, qui Christianum nomine talem, re verò Ethnicum, Christianum habet, æstimat, maximè ubi pravi hujus judicii causa existit proprium commodum, adulatio, sed non minus, si non magis, qui verum Christianum talem esse negat atque, quæ ideo debentur officia, omittit.

XVII. *Ex quo diximus, quid proximus, quid Christianus sit, facilius constat, quænam vitia circa proximi cognitionem committantur. Horum quædam in defectu: alia in excessu notanda sunt.*

XVIII. *In defectu:* Qui honorificas qualitates, quas divina largitione homines, speciatim Christiani, habent, in proximo non agnoscunt. Qui adeoque homines non considerant ut progeniem, opus DEI, fratres suos &c. Qui dein qualitates turpes aut saltem minoris pretii longe præferunt qualitatibus honorificis, ac magnæ æstimationis: Veluti quando tyrannis, fastus, voluptuosum vitæ genus, splendida vestis aut divi-

divitiæ, forma, ſtatus excellior in homine ſuſpicitur, æſtimatur, longe præfertur lenitati, humilitati, parcimoniæ, fiduciæ in DEUM, naturæ humanæ. Sic filius divitis, nobilis, principis multùm præfertur filio pauperis, ignobilis, ſubditi, quum tamen maximum exiſtimationis & honoris fundamentum commune ſit, ſcil. ortus ex DEO. Qui non ſolùm honorificas qualitates in proximo non agnoſcunt, ſed inſuper infames ei tribuunt. Hinc beſtias, canes, Racha, ſtultos, dæmones vocitant. Qui hinc officia qualitatibus innatis debita negligunt. Quem non habent hominem corpore & anima præditum, talem eum non tractant, ſed beſtiæ inſtar: Non ſinunt eum participare de frugibus terræ, cibo, potu, veſtitu, domicilio. Non diligunt; honorant, ut fratrem, conſanguineum, aliud longe excellentius principium ſibi, aliud viliſſimum proximo adjudicant &c.

XIX. *In exceſſu*: Qui hominibus majores perfectiones tribuunt, quam iis inſunt, quæque ſoli DEO competunt: Quique hinc tales ſe præbent erga illos ac ſi revera his perfectionibus inſtructi eſſent. Uti confidere potenti Magiſtratui, Doctorem habere pro infallibili fidei ac vitæ Magi-

ſtro,

ſtro, fortunam ſuam ſuſpendere à Patrono.

XX. *Vitia hæc ortum trahunt ex ignorantia.* Ignorantur perfectiones, maximè ſpirituales, quæ in veris Chriſtianis. Ignorantur quoque imperfectiones in potentibus, eruditis &c. *Ex ſtultitia:* ſtultum eſt laudare, probare, æſtimare, quod ſibi damnum adfert, neglectui habere, vilipendere quod utile. Id verò agunt, qui divites, voluptuoſos, otioſos, luſores, Tyrannos honorant, felices prædicant, non item pauperes, frugales, operarios, lenes &c. Jac. II. *6.* Joh. VIII. *6.* *7.* *Ex judicio mundi.* Sic enim mundani judicare ſolent. Mundus ad perſonas, ſtatum, pompam, divitias, formam attendit, non vero rem in natura ſua ac uſu inſpicit. Qui in mundo vivunt, ſimiliter judicant, niſi moneantur de cœcitate judicii mundani. *Ex perverſo ſui amore.* Homo, qui ſe perversè amat, quicquid habet præ alio vel leviſſimum, æſtimat, extollit ſe ſuper alium, cui illud deeſt: Vult, optat, contendit, ut aliis præferatur, quanquam proximus verè nobiles qualitates habeat, quibus alter caret. Præco diſertus potius haberi vult Paſtor quam inculpatus, quum tamen facundia cum inculpata vita neutiquam

quam comparari queat. Facundia communis est Theologo & causidico.

XXI. *Ex dictis jam cognosci potest, enorme vitium esse proximum non cognoscere. Tria tantum addimus enormitatem hanc confirmaturi.* Ex his primum est, quod causa sit transgressionis officiorum, quæ proximo debemus. Vel an proximus, speciatim pauper, ignobilis ita tractaretur, si cognosceretur filius DEI, opus divinum, DEO æstimatum, jure contector & particeps bonorum terrestrium: Si speciatim Christianus cognosceretur Rex & sacerdos cœlestis, amicus JESU Christi &c. *Alterum*, quod artificium sutoris, sartoris, textoris, infectoris, tonsoris præferatur operi sapientissimi DEI. Solet enim homo æstimari propter vestes, calceos, opera manuum humanarum. *Tertium*, quod *fides gloriæ Domini nostri JESU Christi* habeatur *ἐν προσωποληψίαις personarum acceptionibus* Jacob. II. 1. Dives gemmis, auro, argento, vestibus, melior Christianus habetur divite fide, sanctitate, justitia, aliisque omne pretium terrestre exsuperantibus bonis. Jam Jacobus ævo suo de personarum acceptione conquerendi materiam habebat. Si hodie viveret, si Templa Christianorum, maximè

urbana

urbana & aulica, ingrederetur, prorſus attonitus ſtaret. Προσωποληψία in firmiſſimas leges abiit, haberenturque fermè turbatores Chriſtianiſmi, qui Jacobi admonitionem rectè urgerent.

XXII. *Sequitur cognitio proximi, juxta quam in naturam & qualitates ejus inveſtigo atque talia officia erga eum præſto, qualia natura & qualitates ejus poſcunt.*

XXIII. *Proximus cognoſcitur juxta ea, quæ ſupra §. VIII - XVII. adduximus.* Si quæ hominis, homini, quæ Chriſtiani, Chriſtiano tribuuntur.

XXIV. *Qualis verò homo cognoſcitur, talis etiam tractandus eſt.* Corpus ejus, quod mirum creatoris artificium, honorandum, eſus, potus, veſtitus, domicilium, ſi his infortunio quodam deſtituitur, dandum, etenim corporis natura vel oculis inſpecta, docet creatorem velle, ut proximus his non privetur. Fratrem, qui ejusdem carnis, ſanguinis, eorundem oſſium frater diliget, in periculo juvabit. Quoniam verò præter corpus animam ſpiritualem habet, homo longè præferendus rebus merè corporalibus, æſtimatiſſimis & chariſſimis, quæ alioquin habentur. Imago hæc DEI ſummopere veneranda eſt. Si porrò ipſe DEUS homi-

hominem tantopere dilexit, ut pro illo filium suum unigenitum dederit, ipsum ad communionem vocet, se totum illi fruendum tradat, ex omnibus fidelibus unum corpus formatum velit, annon Exemplo DEI proximus Christianus amandus, pro illo molestia salutaris subeunda, bona necessaria illi communicanda & vera unio testanda est?

XXV. *Unde porrò sequitur, quod qui proximum rite cognoscit, majora officia præstiturus erga eum, in quo majores eorum rationes, minores, in quo minores, nulla, in quo nulla ratio est, aut saltem proximum officiis dignum non honorabit ob accidentia quædam honore indigna.* Adeoque homini naturæ divinæ participi, Regnum Christi amplianti longe majora officia exhibebit, quam illi, qui quidem homo, consanguineus suus aut etiam in Regno naturæ alii prælatus est 1. Tim. V. 17. Gal. VI. 10. Neminem propter vestem, ædes, multo minus fastum, pompam, luxum honorat.

XXVI. *Media cognitionis proximi sunt:* I. *Attendere ad proximum, ejus naturam, dotes, actiones.* Attendens reperiet plurima in proximo esse, quæ captum suum superant, quæ ortum divinum habent, quæ gloriam

DEI

DEI illustrant. Hac autem ratione & cognoscet proximum & quæ illi debet, exsolvet. II. *Se ipsum nosse, seque conferre cum proximo.* Homo facilius se ipsum nosse potest, quàm proximum: solet quoque se diligere, honorare, æstimare propter facultates, dotes, quas habet. Jam quando confert se cum proximo, reperiet, illi non minus animam & corpus aliaque esse quàm sibi. Illum itaque non minus diligendum, æstimandum esse simul colligere debet. Imo magis, si magis participat de DEO. III. *Inquirere in causas officiorum, quibus homines mundani moventur.* Causæ illæ sunt stultæ, ridiculæ, mendaces, ineptæ, proprio commodo innitentes. *Stultæ sunt:* Divitem, avarum æstimare, honorare, cujus tamen divitiæ, avaritia tibi, saltem publico, damnum adferunt. *Ridiculæ:* Eadem persona jam nitida jam vili vestitu induta honoratur & non honoratur. Imò non homo sed vestis honoratur. Hinc evenire solet, ut bene comptus demissâ reverentiâ excipiatur, sed Christianus tenuioris amictûs vix aspectu dignus habeatur. *Mendaces:* Hic summa & humillima officia promittit. Eadem repromittit alter. Neuter cogitat de minimo *officiolo* exhibendo. *Ineptæ:* Annon

ineptum est eum magni æstimare, qui vestem habet molliori lanâ, purpurâ aut alio pretioso colore infecta, forsan vestem illam furatus est. *Proprio commodo innituntur.* Publicanorum & peccatorum more cibant & potant, à quibus cibati sunt & potati. Resalutant salutantes.

XXVII. *Motiva sunt: Æquissimum est, ut unumquodque secundùm naturam suam cognoscamus, tractemus, non supra, non infra.* Vel annon unusquisque nostrûm id vult, postulat ab alio. Quis non ægre fert, si bestia dicitur, aut cum sitienti potus denegatur!

XXVIII. II. *Uti omnis vera cognitio practica, ita quoque proximi.* 1. Joh. II. 4. Qui ait se proximum cognoscere, tanquam fratrem, consanguineum, filium DEI, membrum suum, illum verò negligit, contemnit, deserit, ille mendax est.

XXIX. III. *Ipsa scriptura argumentis à natura proximi Christiani desumtis à vitiis his dehortatur, ad virtutes adhortatur. Qui sanguinem humanum effundit, ejus sanguis per hominem effundetur, nam DEUS hominem ad imaginem condidit.* Gen. IX. 6. *Annon unus Pater nobis omnibus! annon unus DEUS, qui creavit nos! Quare ergo perfidè agimus unus adversus fratrem suum!* Malach. II. 10. *Tu verò quare judi-*


judicas fratrem tuum! Vel etiam quid fratrem tuum contemnis? Rom. XIV. 10. An frater fratris judex esse debet? hoc ipso argumento Moses Israelitas ad debita remittendum movet. Deut. XV. & Jes. LVIII. 7. מִבְּשָׂרְךָ *à carne tua te non subduc* paupere, qui caro tua. Eph. IV. 1. 2. 3. 4. 6. Ambulate *convenienter vocationi, qua vocati estis, cum omni humilitatis studio & mansuetudine, cum longanimitate tolerantes se invicem in charitate, studete unitatem Spiritus in vinculo pacis tenere.* Quare? Quia *unum corpus, unus DEUS & Pater omnium est.* 1. Cor. XII. 25. 26. Postquam Apostolus pluribus ostenderat Christianos esse membra ejusdem corporis mystici, addit *Membra solicita sunt alia pro aliis; Itaque sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive honore afficitur unum membrum, congaudent omnia membra.*

XXX. IV. *Cognitio proximi ratio est omnium officiorum, qua illi debeo.* Si enim novero proximum meum, simul novero, me illi justitiam, veritatem, pacem, charitatem, liberalitatem debere.

XXXI. V. *Cedit in honorem aut ignominiam Creatoris, Redemtoris.* Qui enim opus Creatoris admiratur, æstimat, diligit, ille ipsum Creatorem laudat & extollit. Quæ

Christianis beneficia præstantur, præstantur ipsi Christo. Matth. XXV. 40. Sed & vice versa; Qui Creaturam, speciatim pauperem, claudicantem, deformem &c. ignominiâ afficit, afficit ignominiâ ipsum Creatorem, qui pauperem æquè ac divitem &c. facit. Saul, qui persequebatur Christianos, persequebatur Christum. Act. IX. 5. conf. Matth. XXV. 45.

XXXII. VI. *Similitudines*; Qui legatum Principis, filium Parentis, servum heri malè tractat, ipse Princeps, Parens, Herus malè tractatus habetur. DEUS verò Princeps, Pater, Dominus, Creatura Christianus, legatus, filius, servus est.



CAPUT X.

DE JUSTITIA.

Σύνοψις.

Nexus hujus capitis cum antecedente. §. I.

Justitia sumitur latè & strictè. §. II.

Hîc strictè. §. III.

Opponitur injustitia §. IV.

Ad hanc cognoscendam sciendum, quid proximi sit. §. V.

Quan-

Quanquam accuratè loquendo omnia personalia & realia DEI sunt. §. VI.

Ideo justus bonorum possessor oportet sua à DEO acceperit. §. VII.

Injustus autem est, qui sua à DEO non habet. §. VIII.

Sed ipsa propria auctoritate sua fecit. § IX.

Tales recensentur §. X.

Injustitia variè committitur.

I. *Sub pratextu juris tum generatim §. XI. tum speciatim.*

א. *à partibus litigantibus §. XII.*

ב. *Advocatis. §. XIII.*

ג. *Judicibus. §. XIV.*

ד. *Personis Ecclesiasticis. §. XV.*

ה. *Mercatoribus. §. XVI.*

ו. *Fœneratoribus §. XVII.*

ז. *Divitibus, potentibus, heris. §. XVIII.*

II. *Clam & dolo, cujus octo modi recensentur. §. XIX.*

III. *Apertâ vi. §. XX.*

Unde constat injustitiæ plures & species & gradus dari. §. XXI.

Unde porro constat injustum coram DEO aliquando illum esse, qui in judiciis humanis justus habetur. §. XXII.

Aperiunter injustitiæ fontes. §. XXIII.

Et fœditas ejus demonstratur. §. XXIV.

Injustos sequuntur justi.

Quales sunt, qui unicuique suum relinquunt. §. XXV.

Qui dein' suum tribuunt. §. XXVI.

Qui omne, quod habent, á DEO habent. §. XXVII.

Dat verò DEUS variè. §. XXVIII.

Qui opes suas à legitimis possessoribus legitimè acci-



§. I.

EX *cognitione proximi fluunt plura officia, quæ proximo debentur, speciatim justitia.*

II. *Justitia*, prout hîc in sensu strictiori sumitur, *est minimum officium, quod proximo* præ-

præstandum est. Charitas, liberalitas plus quid, quàm justitia est. Civis justitiam debet, nedum Christianus. Quanquam latiori vocis acceptione justitia omnia officia adeoque etiam charitatem, liberalitatem comprehendat. Justum enim & legibus cautum est, ut proximus diligatur, pauper juvetur. Matth. V. 20.

III. *Hic notat illud officium, quo alteri suum relinquendum & tribuendum est.*

IV. *Ergo vi oppositionis injustitia vitium est, quo proximo suum non relinquitur, tribuitur, sed surripitur, retinetur.*

V. *Quæ proximi, sunt ipse, vita, anima corpus, dignitas ejus. Sunt personæ, uti liberi, servi: Sunt bona mobilia, immobilia varii pretii.*

VI. *Propriè & accuratè loquendo omnia personalia & realia DEI sunt.* Ipse enim omnia condidit, conservat & regit. Unde Ps. XXIV. 1. 2. *Terra Jehovæ est & plenitudo ejus: Orbis terrestris & qui eum inhabitant.* Ps. L. 10. *Omnes feræ sylvestres meæ sunt:* (Etiam) *jumenta in mille montibus* Hagg. II. 8. *Argentum meum & aurum meum, inquit Jehova Zebaoth.*

VII. *Hinc sequitur, quod quacunque homo justè possidet, habeat à DEO: Quacunque verò à*

DEO non accepit, ea hominis sub justo titulo non sunt. Omnia enim DEI sunt.

VIII. *Injustus ergo est, qui pro suo habet, quod à DEO non accepit.*

IX. *Injustus est, qui bonum, quod DEUS proximo dedit, suum facit.* Talis *contrectat nomen Domini* Prov. XXX. 9. Agit, quod DEO competit. Imò agit contra DEUM.

X. Sic injusti sunt fures personarum, animarum, vitæ, sanitatis, famæ, dignitatum, opum, rerum quarumvis, quæ proximi sunt, sive infames sint, sive honesti & dignitate clari habeantur.

XI. *Injustitia variè committitur.* I. *Sub prætextu juris. Generatim* ab omni, qui utitur lege, consuetudine, privilegio injusto. Quanquam enim hæc juris nomen præ se ferant, ac in judicio humano probentur, in se justa non sunt. Nemo hominum in se injustum, lege, privilegio vel consuetudine sic volente, justum reddere potest.

XII. *Speciatim sub prætextu juris injustè agunt* (1.) *partes litigantes*, quæ litigant de bono, quod ad se non pertinere sciunt: quæ egenum debitorem per manum judicis premunt, necessariis privant: quæ litem protrahunt, tum maximè si bona, de quibus controvertunt, possident: quæ testes,

judi-

judices corrumpunt: quæ juxta ſententiam ſibi favorabilem, injuſtè tamen à judicibus latam, bonum adjudicatum tenent. Nequit enim injuſta ſententia jus parti dare. Valet quidem in foro ſoli, non verò poli.

XIII. (2.) *Advocati hisque ſimiles.* Si malæ cauſæ ſive ex toto ſive ex parte patrocinantur, ut bonam vincant: Si litem procraſtinant: ſi mercedem ultra id, quod juſtum, poſtulant. Hi enim injuſtiſſimè agunt. Convertunt enim, quantùm penes illos, fas in nefas, leges DEI in leges Diaboli, juſtam cauſam injuſtam, injuſtam juſtam facere contendunt, clientes ad mentiendum, fallendum, inimicitiam teſtandum odio habendum excitant, hos ut & partes adverſas opibus ſuis ſpoliant. Quanta injuſtitia, quantum hinc judicium DEI contra patronos malæ cauſæ dici nequit!

XIV. (3.) *Judices* Luc. XVIII. 6. Jeſ. I. 23. qui judicium ſecundùm veritatem non ferunt, perſonas accipiunt, condemnandos abſolvunt, abſolvendos condemnant, ſive ratio ſit præcipitatio ſententiæ, causâ nondum ſatis cognitâ, ſive, quod longè injuſtius, proprium commodum, propria gloria. Nec valet hîc diſcrimen inter ſupremum, Regem veluti aut inferiorem, præ-

 torem.

redactis fixam usuram rigidè poscunt, extorquent: Qui modum usuræ exigendæ non tenent.

XVIII. (7.) *Divites, potentes, heri*, qui pauperes, impotentes, servos, ancillas sub vario prætextu fraudant mercede debita, expellunt ædibus, hortis, prædiis aliisque bonis, quæ illi desiderant. Si debita à pauperibus contracta intra breve tempus reddita poscunt aut jus sibi sumunt in bona oppignoráta.

XIX. II. *Clam & dolo.* 2. Thess. II. 10. (*a*) Qui bonum, quod proximus amisit, invenerunt occultantque, ne proprietarius illud sciat repetatque. Bonum inventum studio propalandum est, Ut genuinus possessor illud reposcere queat. (*b*) Præsertim injusti sunt, qui bona naufragio perdita sua faciunt calamitatemque augent. Hæc enim bona alterius & quidem miseri sunt. Auferuntur invito legitimo Domino. Nec juvat dicere: Bona hæc aliàs perirent: Aut sumerentur ab alio. ℞. Incertum, an non in manus possessoris perveniant: Si alius injustè agit, non licet eum injustè agendo prævenire. Qui novit possessorem, nec restituit, jam injustè agit. Justitia non solùm proximo suum relinquit sed & dat

(*c*) Qui

(*c*) Qui bonum concreditum, depositum retinent prætexentes furtum ab alio factum, aut negantes depositionem, aut qui commutant cum alio viliori. (*d*) Qui proximo non quidem pecuniam aut bonum pretiosum sed vilius vestiarium aut cibarium surripiunt, quique possessoris amici videri volunt. Pretium, materia facit differentiam furti, non verò tollit naturam furti. Amici non est agere, quod furis est. (*e*) Huc pertinent literarii fures, qui libros, Manuscripta nolente aut inscio possessore auferunt. Etenim liber non minus pretium in se continet, quàm pecunia, atque possessor eum ut suum possidere vult, uti pecuniam in cista. Qualis illa eruditio, aut eruditorum status, qui actionem furtivam sibi honestam & licitam habere vult: Tales sunt honesti fures. (*f*) Mercatores, qui merces madidas faciunt, pretiosis viles immiscent, mutant, duplex pondus habent & qui alii innumeri fallendi modi sunt. (*g*) Servi, mercenarii, artifices, qui heros decipiunt, laboriosi præsentibus, otiosi absentibus heris. (*h*) Qui quidem patratum furtum agnoscunt, sed ablatum non restituunt.

xx. III. *Apertâ vi*, qualem inferunt latrones

trones, prædatores, exercitus militares. Magistratus, qui contra leges juris subditorum bona in suam potestatem redigunt.

XXI. *Ex dictis variæ injustitiæ species liquent: Harum alia aliam gradu superat.* Gradus cognoscuntur. (*a*) *Ex objecto, quod aufertur.* Quò hoc pretiosius, eò majorem injustitiam constituit. Homo pretiosior re. Vita pretiosior famâ. (*b*) *Ex possessore.* Quò possessor majori auctoritate pollet, tantò gravius furtum habetur. Qui sacrilegium committit, graviùs peccat, quàm, qui bonum commune rapit. (*c*) Crescit quoque furtum *ex damno, quod infertur.* Veluti si tenues opes pauperi auferuntur. Hæ enim ipsi ad vitam sustentandam necessariæ sunt. (*d*) *Ex persona furis.* Hic vel pauper vel dives, saltem mediocrium facultatum: Vel persona publica vel privata: Vel illustris vel obscura: Vel Ecclesiastica vel politica: Vel de injustitia magis convicta vel minus. Dives, persona publica, Ecclesiastica, de injustitia præ alia convicta majus crimen committit injustè agendo. (*e*) *Ex actibus repetitis.* Rom. I. 29. (*f*) *Ex animo & scopo rem alienam contrectantis.* Quando animo furandi annexum est odium,

odium, invidia adversùs possessorem, tale furtum gravius est simplici.

XXII. *Hæc de variis injustitiæ speciebus & gradibus docent non solùm injustum illum esse, qui in foro humano talis habetur, sed & qui in eo justus dicitur. Fas humanum esse nefas divinum: Summam injustitiam.* Fures non solùm esse, qui noctu in ædes irrumpunt rapiuntque, sed & personas publicas, dignitate claras, quæ bona proximi per nefas quocunque sub prætextu juris atque etiam cum approbatione Dicasteriorum sua reddunt. Jes. I. 23. Matth. XXIII. 14. Luc. XX. 47. Imò horum furtum tantò gravius in Dicasterio cœlesti, quantò magis impunitum dimittitur & speciem juris penes mundum injustitiæ tenet. Hinc in sacris longè frequentiores comminationes adversûs honoratos fures, quàm infames proferuntur. Amos. IV. 1-4. VIII. 4. 5. 6. III. 10. 11.

XXIII. *Injustitia ortum trahit ex avaritia & cupiditate habendi.* Quare fur furatur? Nisi bonum proximi cuperet, non furaretur. Quare fœnerator molestam usuram poscit? Avaritia eum impellit. 1. Tim. VI. 10. *Ex præjudiciis de jure & consuetudinibus.* Opinantur justum esse, quod justum dicitur. Mores, statuta, decisa humana, Politica, Eccle-

Ecclesiastica, non examinata ad jus divinum simpliciter justa habenda esse. Hinc homines optimum sibi jus in bona tribuunt, si consuetudine, lege ac sententia judicis illa possident. Hac ratione etiam furtum justum daretur, si illud consuetudine in gente receptum esset, uti alicubi receptum fuisse dicitur.

XXIV. *Quàm fœdum vitium inter Christianos injustitia sit, exinde constat,* quia injustus nequidem membrum rectæ constitutæ Reipublicæ nedum Ecclesiæ est. Christianus de suo proximo communicare debet, aut suum proximo per nefas rapienti relinquere 1. Cor. VI. 7. quantò magis tenetur proximo, quod ejus est, relinquere, tribuere. Injustitia pacem publicam turbat, inimicitiam facit, alit, viam parat ad maximas lites, pugnas. *Injustus contrectat nomen Domini* Prov. XXX. 9. Opes enim DEI sunt, atque is solus jus disponendi habet, cujus esse debeant. Disposuit quoque ut ab hoc possiderentur, non ab alio. At fur ipse disponit de opibus, eas sibi tribuit contra ordinationem divinam. Furi nomen etiam in injusto mundo infame est. Furum infamiam, saltem re ipsa & coram DEO inurunt sibi quotquot injusti sunt, licet aliàs optimè audi-

audirent. Tandem alia fama non manebit, quàm quâ apud DEUM pollemus. Injustitia nemini minus convenit, quàm personis illustribus, literatis, Pastoribus, Magistratibus, quæ DEI personam referunt; fures puniunt, furti fœditatem optimè nosse volunt, debent. Turpissimè agit, qui prædicat, statuit, probat furandum non esse, ipse verò furatur. Rom. II. 21.

XXV. *De injustis hactenus: de justis inposterum. Justi sunt, qui unicuique suum relinquunt tum facto tum animo.* Minimus justitiæ gradus est proximo suum, quod ab eo asservatum est, intactum relinquere: Major ille, quando ne quidem animo desideratur. Hunc insuper superat is, quo bonum alius potestati commissum in sua bonitate relinquitur, ac qui inde ortus est fructus proprietario nescienti tribuitur. Sic Oeconomus, tutor, justus est.

XXVI. *Justi dein, qui proximo suum tribuunt.* Uti depositum mutuo datum sine deterioratione, saltem culpabili: Rem quoque amissam, naufragio disjectam. Quæ justitia tum tantò rectiùs colitur, quando depositum proprietario rerum suarum oblito restituitur, aut si hic studio quæritur asservatur-

vaturque bonum tamdiu, quamdiu legitimus Dominus agnoscitur.

XXVII. *Justi etiam, qui omne, quod habent à DEO habent.* DEUS enim, ut supra diximus, est verus Dominus omnium bonorum. Justi ergo, quæ habent, à DEO habent.

XXVIII. Dat verò DEUS variè. א. Benedicit utero, fœtusque format, in lucem producit. ב. Benedicit semini terræ ac messem donat divitem Deut. XXVIII. ג. Donat terram & quæ in ea. Qui primus occupat bonum terrestre, cui non est proprietarius, illud occupantis est. Gen. I. 29. ד. Donat vires, quarum usu bona terrestria accipimus.

XXIX. *Justi porrò, qui opes suas à legitimis possessoribus legitimè accipiunt.* Quod fit bifariam. Vel dono, quo referri potest hæreditas, testamentum: Vel pro pretio æquivalente.

XXX. *Hinc justi sunt, qui æqualitatem servant in datis & acceptis.* Quantùm accipiunt, tantùm dant. Id quod etiam variè fit: Modius frumenti, centum floreni, modio frumenti, centum florenis redduntur. Vel pretium tantum redditur, veluti pro frumento pecunia. Aut hic laborat in usum alterius, qui pro labore victum, amictum, mercedem accipit. In his justitiæ specie-

 bus

bus requiritur consensus utriusque partis atque candor: Commutaturus, tale bonum, quale promisit, alteri dat, non vilius. Si tamen candidè defectum boni alteri aperuit, hic verò nihilominus se illud accipere velle affirmat, justè agit.

XXXI. *Speciatim justi sunt mercatores & fœneratores. Illi,* qui probas merces rectâ & notâ mensura pro æquo pretio venales exponunt venduntque: qui, quanquam ob emtorum imperitiam aliasque causas majus lucrum habere possent, non accipiunt. *Hi,* qui pro elocatâ pecunia aliove bono partem lucri poscunt. Hujus verò lucri quantitas determinari nequit. Variat pro ratione accipientis & fructûs. Qui accipit, est vel pauper vel dives: Fructus major aut minor: Certior aut incertior aut periculosior. Qui pecuniam elocat pauperi ad res necessarias, frustra elocat: Qui elocat eidem ad negotiationem, partem lucri videtur accipere posse. Quanquam rectius faciat, si elocator dives pro minori pecuniæ summa nullum lucrum exigit. Qui verò diviti elocat, rectè partem lucri poscit. Nulla ratio, quare quis divitem ditiorem reddat, non accepta lucri parte, quæ tamen diviti ex elocantis opibus accrevit.

XXXII. *Sed annon omnis usura lege Mosaicâ* Lev. XXV. 36. 37. Deut. XV. 1. XXIII. 19. *Christianâ* Luc. VI. 35. *proscripta est?* ℞. 1. Leges Mosaicæ Exod. XXII. 14. Lev. XXV. 36. 37. Deut. XV. 2. 3. agunt de usura accipienda à paupere. 2. Ratio politiæ Mosaicæ talis erat, ut usuræ nullus locus inter Judæos esse debuerit. Habebant enim omnes tribus & familiæ agros & vineas suas. 3. Hinc dives Judæus non habebat jus pecuniam à fratre suo mutuò poscendi. Aut hic non tenebatur pecuniam suam elocare. 4. At verò inter Christianos alia politiæ ratio. Plurimi nullos agros, vineas, prata habent: Habent verò pecuniam. Hi igitur ex pecunia fructum quærunt ad suam sustentationem, ut alii ex agris. Quanquam fatendum, illum politiæ statum rectiorem videri, in quo unusquisque partem terræ ad propriam sustentationem possidet coltique. 5. Locus Luc. VI. 35. non videtur legem conversationi Politicæ, civili præscribere. Salvator à Discipulis suis plus exigit, quàm præstant homines mali. Hi verò mutuum dant iis, à quibus ἴσα sibi promittere queunt ℣. 34. Christiani ergo mutuum etiam inimicis dare debent, quanquam ἴσα expectare nequeant, sine spe usûs in illos redundaturi. Hinc verò non sequitur

O 2 tur

tur, mutuum non dandum esse iis, qui rursum alio tempore mutuum daturi. Aut pecuniam non elocandam esse diviti ea conditione, ut pars lucri detur. Id solùm sequitur, etiam inimicis, sine spe usûs, mutuum dandum esse. Illud quidem licitum est, sed Christianum non probat. Hoc verò Christianum est.

XXXIII. *Justi insuper sunt, qui ratione ad circumstantias habitâ ex æquo cum proximo agunt.* Circumstantiæ enim variant rem. Quare justus prudentem circumstantiarum rationem habet. Æquitas est stricti juris prudens propter circumstantias moderatio. Casus est: N. centum florenos pro annua usura N. diviti fœnori dedit. Finitô anno accipit determinatum fœnus ab N. divite. At hic altero anno naufragium patitur &c. non habet, quod solvat. Æquitas juris vult, ut erga infelicem misericordem se exhibeat, solutionem sortis & usuræ non juxta strictum jus urgeat, extorqueat.

XXXIV. *Justi præterea sunt, qui rectè distribuunt, quæ distribuenda habent.* Veluti dignitatem, officium. Qui adeoque in naturam muneris investigant, & quas illud qualitates requirit: Qui tum munus in illum conferunt, qui præ aliis qualitatibus ad munus

rectè

rectè defungendum pollent adeoque non ad usum, honorem aut damnum respiciunt.

XXXV. *Justi denique, qui injustitiam corrigunt.* Corrigunt privati propriam injustitiam: Id quod est omnium verè resipiscentium, qui se quodam injustitiæ scelere macularunt. Exemplum prostat in Zachæo. Corrigunt personæ publicæ alienam. Furem veluti cogunt ad ablatum restituendum: Absolvendum absolvunt: condemnandum condemnant.

XXXVI. *Justi ultimò sunt, qui jura, privilegia, consuetudines humanas ad jus divinum examinant, justum non habent, quod cum jure divino non stat, multo minus, si ei contrariatur, hinc jure humano non utuntur, quanquam illo ad proprium honorem & commodum coram hominibus uti possent.* Sic partes litigantes bonum injustè sibi adjudicatum in proprium usum non convertunt. Nec pastores sportulas extorquent, quas ex statutis humanis extorquere possent &c.

XXXVII. *Uti est* συνδεσμὸς ἀδικίας Actor. VIII. 23. *sic quoque* δικαιοσύνης. Justus nondum habendus est, qui unam alteramve justitiæ speciem colit, sed omnes memoratas, saltem quando eas excolendi occasio est. Sic de Joannis parentibus Lucas ait,

 quod

quod δίκαιοι *justi ambulent in omnibus præceptis* καὶ δικαιώμασι *& justificationibus inculpati.* Luc. I. 6.

XXXVIII. *Quia plures justitiæ gradus sunt, exercentis se in justitia officium est contendere, ut jugiter altiores conscendat.* Non contentus sit justitiâ coram hominibus sed assurgat ad eam coram DEO: Magis æquo quàm stricto juri studeat. Excolat eam justitiam, quæ proprio commodo adversatur. *Justus justificetur adhuc.* Apoc. XXII. 11.

XXXIX. *Cultor justitiæ sequentia media adhibeat. Primò* notum sibi reddat jus divinum. Quoniam enim plura in mundo & Ecclesia justa habentur, quæ non sunt, justitia ex rectiore principio discenda est. Hoc verò est lex justa Rom. VII. 12. *Secundò* studeat charitati: Nemo, qui proximum diligit, injustè eum tractabit. *Tertiò* abneget seipsum, proprium commodum. Proprium commodum, honos maxima sæpius injustitiæ causa est. *Tandem* ne minimum quidem contra justitiam agat, nam *qui in minimo injustus, ille etiam in magno injustus erit.* Luc. XVI. 10.

XL. *Pensitet sequentia justitiam exercendi motiva.* I. Voluntatem DEI omnibus quidem hominibus, speciatim tamen Pastoribus,

floribus, Magistratibus, mercatoribus hanc virtutem mandantem Mich. VI. 8. *Nuntiavit tibi ô homo*, quicunque es, *quid bonum & quid Jehova abs te requirat*: quid? עשות משפט *facere jus. Gratia DEI salutaris illuxit omnibus hominibus.* Quid efficit in illis? castigat, *ut justè vivant* Tit. II. 12. Speciatim Pastores. *Tu, ô homo DEI, persequere justitiam* 1. Timoth. VI. 11. 2. Timoth. II. 22. hinc requisitum Tit. I. 8. oportet, *ut Episcopus justus sit.* Magistratus Lev. XIX. 15. *Non facietis injustitiam in judicio: non accipies faciem pauperis, nec veneraberis faciem magni: In justitia judicabis proximum tuum.* Ps. LXXXII. 2. *Quousque injustè judicabitis & facies improborum accipietis?* conf. ℣. 3. 4 mercatores Lev. XIX. 35. *non facietis injustitiam in mensura, pondere & dimensione*, ad justitiam agendum monentur.

XLI. II. *Scopum mortis Christi, justificationis per sanguinem Christi.* JESUS Christus *peccata nostra in corpore suo super lignum tulit, ut peccatis mortui Justitiæ viveremus.* 1. Petr. II. 24. Quia per Christum justificatio, hortatur Paulus, ut *membra nostra membra Justitiæ DEO* sistamus Rom. VI. 13.

XLII. III. *Postulatum Christianismi. Recedat*

dat ab injustitia omnis, qui Christi nomen nominat. 2. Tim. II. 19.

XLIII. IV. *Imò postulatum Reipublicæ civilis.* Injusti membra politiæ esse nequeunt, non tolerantur. Quando verò Christianorum societas sanctissima, multò magis membra ejus justitiæ studere tenentur.

XLIV. V. Fructum injustitiæ & justitiæ. *Ille* accusatio conscientiæ, inimicitia cum proximo, mors. *Qui seminat injustitiam, metet vanitatem* Prov. XXII. 8. *Si justus recedit à justitia sua, & facit injustitiam, moritur ob eam: ob injustitiam suam, quam patravit, morietur.* conf. Luc. XIII. 27. *Hic* bona conscientia, pax cum proximo, protectio divina. 1. Petr. III. 12. vita æterna. *Si improbus ab improbitate sua recedit atque facit judicium & justitiam, is animum suum vivum servabit* Ezech. XVIII. 27. Felicitas alterius vitæ vocatur *corona justitiæ, quam justus Judex daturus est.* 2. Tim. IV. 8.

XLV. VI. *Socios injustitiæ & justitiæ. Illi* sunt scelerati, ad orcum damnati 1. Cor. VI. 9. Bileam, qui dilexit mercedem injustitiæ. 2. Petr. II. 15. Judex ille injustus Luc. XVIII. 1. *Hi:* Ipse Salvator justus. 1. Joh. II. 2. Josephus, Zacharias, Elisabeth, piè defuncti *justi consummati.* Hebr. XII. 23.

CAPUT

CAPUT XI.

De

Sermone ritè cum Proximo ducendo.

Σύνοψις.

Nexus hujus officii cum antecedentibus. §. *I.*

DEUS homines sociales condidit. §. *II.*

Hunc in finem dedit facultatem cogitata erga se invicem per certa signa communicandi. §. *III.*

Hæc signa convenire debent cum animo. §. *IV.*

Et re ipsa. §. *V.*

Edendaque in usum proximi. §. *VI.*

Vitia, quæ huic officio contrariantur, sunt א. *tacere quando loquendum esset.* §. *VII.*

ב. *Mendacium dicere.* §. *VIII.*

ג. *Mentiri; Id quod fit variè.* §. *IX.*

(a) *Blandiendo.* §. *X.*

(b) *Simulando & dissimulando.* §. *XI.*

(c) *Æquivocationibus.* §. *XII.*

(d) *Et reservationibus mentalibus utendo.* §. *XIII.*

(e) *Jocando, figmentaque excogitando.* §. *XIV.*

(f) *Officii testandi gratia falsum testando.* §. *XV.*

Quò speciatim falsæ systatica literæ testimoniaque pertinent. §. *XVI.*

(g) *Mentiendo ad proximum lædendum.* §. *XVII.*

(h) *Fidem datam fallendo.* §. *XVIII.*

(i) *Falsò jurando.* §. *XIX.*

(k) *Spiritui S. mentiendo.* §. *XX.*

7. *Mysteria ac dehortationes non ritè proferre.* §. *XXI.*

Diabolus mendaciorum mendaciumque hominum Pater est. §. *XXII.*

Alii speciales fontes vitiorum deteguntur. §. *XXIII.*

Monstraturq; eorum summa turpitudo. §. *XXIV.*

Vitiis his succedunt sermonis virtutes, quarum prima loqui verè. §. *XXV. XXVI.*

Altera candidè. §. *XXVII.*

Tertia plenè & planè. §. *XXVIII.*

Quarta utiliter. §. *XXIX.*

Quò speciatim referuntur correptiones fraternæ. §. *XXX.*

Quinta benevolè. §. *XXXI.*

Sexta prudenter. §. *XXXII.*

Septima fortiter & constanter. §. *XXXIII.*

Octava fidem datam liberare. §. *XXXIV.*

Ultima tacere. §. *XXXV.*

Hæ virtutes jam conjunctæ sunt; jam non. §. *XXXVI.*

Omnibus incumbunt. §. *XXXVII.*

Variant gradu. §. *XXXVIII.*

Homini tamen naturâ non insunt. §. *XXXIX.*

Sed gratiâ DEI propter meritum JESU Christi §. *XL.*

Indicantur media, quorum legitimo usu Christianus ad virtutes sermonis memoratas pervenit. §. *XLI.*

Subjiciunturque motiva, qualia.

1. *Mandatum divinum.* §. *XLII.*

2. *Natu-*

**********:**:***********

§. I.

EX *Cognitione & Justitia fluit veritas, in colloquio cum proximo loquenda.* Qui enim proximum cognoscit, justè cum illo agit, ille à mendacio abstinebit, nec celabit id, quod nosse proximi interest.

II. DEUS homines sociales condidit. Eph. IV. 25. hunc in finem largitus est facultatem cogitata & desideria mentis exprimendi, communicandi, ut societas inter illos existere & conservari queat.

III. *Cogitata & desideria mentis variè exprimuntur, communicantur*, capite, oculis, manibus, pedibus, maximè scripto & sermone. Prov. VI. 13. 2. Thess. II. 2.

IV. *Signa externa cum cogitatis & voluntate mentis convenire debent.* Qualis homo extus, talis quoque intus requiritur.

V. *Signa hac insuper cum re ipsa convenire debent.*

VI. *Signa hac porro in usum proximi edenda sunt.* DEUS enim hanc facultatem, maximè in usum proximi, dedit. Nullis ejusmodi

modi signis indigemus agentes cum DEO, ceu qui cor inspicit.

VII. *His nunc præmissis agemus de vitiis, quæ contra hoc erga proximum officium patrantur*, suntautem. I. *Tacere*, sive nullum externum signum ad proximum informandum edere, quanquam id requirat ratio proximi. Requirit autem ratio proximi, si silentium causa est damni sive corporalis sive spiritualis. Vitium tantò majus in eo, qui tanquam lingua, tuba in populo constitutus est. Veluti quando Pastores errantes de veritate non informant, peccantes, maxime in eminentia constitutos, non redarguunt, quique similes mutis canibus, Ezech. III. 18.

VIII. II. *Mendacium dicere*, sive rem narrare aliter ac se habet. Talis, qui narrat, narrat quidem, ut opinatur, uti ab aliis accepit, atque ita sermo convenit cum corde suo, sed non cum re. Quo vitio nihil communius. Propendent enim homines ad quasvis narratiunculas, ficta nova aliis tradendum. In conceptibus Theologicis quot mendaces sunt? Pauciores enim doctrinam veritatis tenent. Tot alii de rebus divinis juxta Phantasiam, præcepta memoriæ tradita, affectus disserunt. Imo nemo naturâ de rebus spiritualibus verè loquitur: *Omnis homo mendax est*. Rom. III. 4. IX.

IX. III. *Mentiri* ſive aliud in corde clauſum, aliud in lingua aliove inſtrumento cogitata exprimendi apertum tenere. Pro varia ſpecie, ſcopo, cauſa, gradu varia induntur nomina.

X. Talia ſunt. א. *blandiri.* Sive ad gratiam alterius conſequendam lenocinia conquirere, ejus facta ſupra modum extollere, malefacta vel ſilentio prætcrire vel excuſare vel laudare: Blanditiæ auſcultantibus pernoxiæ ſunt, unde Salomo, credibiliter experimento edoctus (frequentiſſimè enim adulatores in aulis verſari ſolent) ait aſſentatorem rete expandere greſſibus proximi. Prov. XXIX. 5. Tales ſunt Oratores, Pſeudo-Politici, Pſeudo-Prophetæ, nam quando veri ſalis naturam habent, falſi melli-fluis verbis utuntur per *blandiloquentiam & aſſentationem corda non malorum decipiunt.* Rom. XVI. 18. *libertatem promittunt, qui ipſi corruptionis ſervi ſunt.* 2. Petr. II. 19. 18. *Populus mi, qui te beatum prædicant, ſeducunt te* Jeſ. III. 12. conf. Ezech. XIII. 18.

XI. ב. *Simulare & diſſimulare cum intentione fallendi.* Veluti amicitiam præ ſe ferre, quum tamen animus hoſtilis ſit. Exemplum proſtat in Juda. Luc. XXII. 48. Joabo II. Sam. XX. Hominum eſt in

ſcele-

ſceleribus exercitatorum. Deteriores ſunt iis, qui animum adverſum tegere nequeunt. Hi beſtiis, illi ſimul diabolis ſimiles ſunt. Excipe fictiones exploratorias, correctorias ſimilesque, in quibus nullus fallendi ſed potius ædificandi animus adeſt.

XII. ג. *Æquivocationibus uti* ſive verbis ambiguis, quæ duos pluresve ſignificatus habent. Seliguntur autem ejusmodi verba, ut is, qui audit, ſiniſtrè accipiat decipiaturque. Uti verò dolus vitium eſt, ſic æquivocatio, quæ ſermo fraudulentus. Tantò majus vitium, quò æquivocatio doctior. Æquivocationes dein ſcopum ſermonis, quem creator intendit, tollunt.

XIII. ד. *Reſervationibus mentalibus uti*, ſive partem verborum proferre, aliam in pectore clauſam tenere. Scopus verò eſt, proximum fallere, ſibi verò commodum procreare. Sed hac ratione nemo cum altero loqui, contrahere, converſari tutò poſſet. Turpiſſimum verò, quando illi, quibus præ aliis candori ſtudendum, dolosè loquuntur: Quis illis fidem habebit?

XIV. ה. *Jocos, ludos, figmenta excogitare aut anilia recitare.* At ſunt ſtultiloquia quæ Chriſtianos dedecent Eph. V. 4. Chriſtianorum eſt jugiter in conſpectu DEI verſari,

cuncta

cuncta ad gloriam DEI referre, salutem suam cum timore operari; Sed cum his joci minimè conveniunt. Ais, dici talia ad tempus transigendum, animum recreandum. ℞. Miser es, qui nescis tempus aliter quàm stultè loquendo transigere. *Videte ut accurati ambuletis, non ut stulti sed ut sapientes; Redimite tempus* Eph. V. 15. 16. Nec his animus recreatur. Saltem non alius quàm carnalis, qui in perpetuam tristitiam tandem abit.

XV. ℩. *Mentiri officii testandi gratiâ.* Sed malum non faciendum est, ut bonum exinde surgat. Intentio bonum opus nondum constituit: Oportet ut ipsa actio legi divinæ respondeat. Et quare non sperandum, id commodum in proximum redundaturum magis testimonio vero quàm falso? DEUS verax veritatis studioso potius manum auxiliatricem porrigit, quàm mentienti. Quò proximus majori implicitus periculo existit, tantò magis gratiæ divinæ commendetur, atque actu, quantum licet, liberetur.

XVI. *Ad hanc speciem referri possunt literæ systaticæ, testimonia, quæ subjectum à qualitatibus commendant, quæ tamen ei non insunt.* Non solùm præceptum nonum violat is, qui contra proximum, sed & qui pro proximo

ximo falſum teſtatur, *non dices in tuum proximum teſtimonium falſum.* Paulus ſimpliciter transfert οὐ ψευδομαρτυρήσεις *non falsò teſtaberis.* Rom. XIII. 9. Quanquam accuratè loquendo ejusmodi mendaces laudes quàm maximè contra proximum ſint, & ſæpius majorem noxam inferant quàm convitia, tum præprimis, quando juvenes inflati, malè morati, maximis encomiis onerantur, ut cœtui Chriſtiano præficiantur. Summum enim hinc damnum & laudibus onuſto & cœtui accedit. Quia verò ejusmodi literæ frequentes circumvolitant, niſi eorum ἀξιόπιστος autor notus ſit, nemo illis tutò, fidem dare volet; Hinc nunc aliud damnum oritur.

XVII. ℣. *Mentiri ad proximum lædendum, quod fit inſuſurrando in aures aliorum, maximè potentum, ea quæ proximum ſuſpectum reddunt.* Qualia mendacia tantò pernicioſiora ſunt, quantò minus refutari queunt: *publicè calumniando*, malum nimirum excogitando aut excogitatum diſſeminando, ut proximo infamia inuratur, in munere inutilus aut minus utilis reddatur. Calumniis optimi quique maximè expoſiti ſunt. Solet enim διάβολος calumniatorum parens his præcipuas inſidias ſtruere, atque ſuo nomine

minie denigrare. Probant exempla Christi, Apostolorum, piorum per omnia secula, qui ab hæreticis hæreticorum nomine notati sunt, Luc. VI. 22. *Testando adversus alterum coram judicio.* Matth. XXVI. 60. Sive prorsus effingendo testimonium sive ex parte addendo, aut omittendo, vel alium sensum verbis dando.

XVIII. ח. *Fidem datam fallere.* Huc pertinent maximè communes officiorum pollicitationes, quibus homines sibi invicem servilia, submissa officia promittunt, nulla verò præstant, potiùs unus in alterum dominium usurpat. Dein fabrorum, debitorum, qui rogati, moniti opus commissum, pecuniam debitam pollicentur, sed nequidem de promissis præstandis seriò cogitant. Ne hic dicam de promissis, quæ DEO precantes, voventes, S. Cœnâ fruentes &c. facimus nec adimplemus.

XIX. ט. *Falsò jurare.* Sacramentum DEO teste dicitur, ut controversiæ finis fit & unicuique suum tribuatur. Qui falsò jurat, ille omniscientiam aliasque divinas perfectiones negat & simul proximum lædit.

XX. י. *Mentiri Spiritui S.* Actor. V. 3. sive coram cœtu affirmare se v. gr. opes suas sacras fecisse, quod tamen non factum

aut saltem non ita, uti cœtui significatum.

XXI. IV. *Proponere sancta Mysteria canibus, porcis.* Matth. VII. 6. V. *Aut corripere proximum peccantem, impellentibus pravis affectibus, sive is correptionem promeritus sit sive non.* A quo quidem vitio sibi omnes Christiani cavere debent, maximè Pastores. Quare correpturi probè ad animum attendant, an turbidus sit, an quietus: An eum impellat gloria Dei, salus proximi: An verò invidia, damnum sibi illatum. Tum rectius correptionem intermittit aut saltem affectibus concitatus differt, donec animus rursum ad se rediit. In causa propria increpator non sit, sed Dei, uti Moses Exod. XXXII. Num. XII. *Etiam illa correptio vitiosa, quæ modum non tenet,* quæ æquo acerbior & publicè fit, faciunda privatim aut quæ æquo lenior, qualis Eli 1. Sam. II. 22. 23. *Tandem quando corripit ipse correptione dignus;* si objurgator eodem vitio laborat, nec hactenus resipuit.

XXII. Communis omnium mendaciorum parens Diabolus est. *Mendax enim est & Pater mendacii* Joh. VIII. 44. Hic genuit plurimos filios, speciatim *Pseudoprophetas,* & ψευδοδιδασκάλους, qui mentiuntur se doctrinam abs Deo accepisse, quæ tamen ab hominibus

minibus efficta est. Qui hinc falsos conceptus de cognitione & cultu DEI in Theologiam intruserunt. 2. Petr. II. 1. Joh II. 21-24. 1. Tim. IV. 1. Etiam *Pseudopoliticos*: nam uti illi Theologiam falsis dogmatibus, ita hi politiam ementitis axiomatibus polluunt. Qualia sunt: *Simula, dissimula, quoties occasio poscit: Principi omnia licere: Illos esse benè politos, qui omnibus placere possunt.* Insuper Ψευδο-*Oratores*, qui præcepta artis mentiendi tradunt, orationes componunt veri expertes, Panegyricos recitant totos adulatorios, sceleratos ut sanctos subinde laudant, commendant alios à virtutibus, quorum opposita vitia plurimis nota sunt.

XXIII. *Supra memorata sermonis vitia speciatim oriuntur ex metu.* Tacent enim metu mali. *Ex spe commodi.* Assentatores unicè suum commodum quærunt. *Carnali natura.* Nisi enim caro dominaretur, nemo prætexeret recreationem, quæ ex jocis & ludis oritur. *Credulitate.* Credunt, quæ audiunt nova & spargunt per orbem. *Dolo & malitia*, quæ se exerit in mendacio, ut vocant, pernitioso. Unde mendacium & dolus conjungitur Ps. CI. 7.

XXIV. *His addo, quod vulgo homines turpitudinem mendaciorum ignorent, evitaturi*

P 2 *aliàs*

aliàs, si fœdam eorum naturam perspectam haberent. Sunt tamen fœdissima ex judicio DEI, hominum, naturâ, ortu, fructu. Labia mendacia abominatio sunt Jehovæ Prov. XII. 22. Mendaces in vita civili nullam fidem inveniunt, Nam & inepti ad testandum habentur. Sermo ex ordinatione creatoris mentis interpres esse debet; At mendacium à mente dissentit. Mendacium dein à Spiritu impuro mendaci, qui in homine, oritur, *vos estis ex Patre Diabolo.* Joh. VIII. 44. Sermo mendax varia infortunia, lites, pugnas, bella concitat & mendacem extra Cœlum proscribit. *Non intrabit in Hierosolymam cœlestem quidquam pollutum & faciens abominationem* καὶ ψεῦδος, *mendacium.* Apoc. XXI. 27. *Extra canes & omnis, qui amat & facit mendacium.* Cap. XXII. 15.

XXV. *Succedunt virtutes sermonis cum proximo habendi*, sunt autem. I. *Loqui vera.* Λαλεῖτε ἀλήθειαν, *loquimini veritatem.* Eph. IV. 25. Locuturus igitur rerum dicendarum evidentem notitiam habere debet, qui enim aliis sive in rebus facti sive rebus juris simpliciter fidem habet, incertus an verum an falsum loquatur.

XXVI. *Speciatim judicia, quæ de proximi vita & qualitatibus sive ore tantùm sive scripto feren-*

ferenda sunt, ad regulam veritatis examinata poscuntur. Cujus non est de persona judicare, ille rectiùs judicium omittit relinquitque DEO. In casu verò necessitatis ac officii judicium ab affectibus remotum, affectu amoris æquè ac odii, fert; vel non tam judicat, quàm narrat, quæ de subjecto novit, bona, mala; Quanquam hæc in memoriam revocanda non sint, si jam sepulta ac in Christianam vitam commutata sunt.

XXVII. II. *Loqui candidè.* Os simile sit fonti, qui aquam, quæ intra se scaturit, simpliciter effundit, absque mixtione: Sermo noster ex corde purus profluat. Adeoque affirmamus, negamus, limitamus, in dubium vocamus ore, scripto, quæ in corde affirmamus, negamus, limitamus, in dubium vocamus. Quanquam sermo candidus hominibus mundanis minimè probetur, atque stolida simplicitas audiat, tamen Christo probatur. *Ecce verè Israëlita, in quo nullus dolus est.* Joh. I, 48.

XXVIII. III. *Loqui plenè & planè.* Id omne eloquendum, quod alter scire debet. Id quoque verbis apertis eloquendum, quorum sensus proximo necessarius est: Tum maximè, quando contractum inimus aut

verba nôsse proximi interest. Rectè igitur proximus rogatur, num verba nostra intellexerit, si is alioquin ex verbis non intellectis in damnum incideret.

XXIX. IV. *Loqui utiliter. Egrediatur ex ore vestro sermo ad ædificationem necessitatis, ut gratiam det audientibus.* Eph. IV, 29. Id quod fit, quando sermo noster proximum in veritate informat, ab errore liberat, ad virtutes impellit, à vitiis abstrahit, miserum consolatur. Talis sermo est *ad ædificationem necessitatis* atque audientibus ingens gratia accedit.

XXX. *Huc speciatim pertinent correptiones fraternæ*, Christianis mandatæ. Matth. XVIII. 15. utilissimæ, si rectè instituuntur. Quod enim carni alias putrescenti sal, id peccanti fratri fraterna correptio. Rectè verò instituitur, si correpturus nonnisi gloriam DEI & ædificationem proximi quærit: si correpturus alium primò à se ipso incipit, ac sibi rigidior monitor quàm aliis existit: Si proximum primò privatim, tum publicè redarguit nec monendo defatigatur, quousque spes eum lucrandi superest: Si denique sali gratiam jungit. *Sit sermo vester semper in gratia sale conditus.* Col. IV. 6. Gratia sermonis allicit, atque increpatum

certum

certum reddit de recto increpantis animo, sed sal mordet & mordendo sanat: Si ultimò monitis parentem diligit, æstimat, Deo ob lucrum animæ grates agit, cum neutiquam vilipendit, aut antecedentem vitam exprobrat.

XXXI. V. *Loqui benevolè.* Col. IV. 6. *non* ἐν λόγῳ κολακείας *sermone assentatorio sed ex imo corde.* Adeoque prout quis animo ad benè agendum propendet, sic quoque benevolentiam testatam facit, atque hoc erga omnes, speciatim pauperes, miseros, inferioris sortis homines. Si quis enim sermone benevolo erga quosdam, illos maximè, à quibus bonum expectandum habet, utitur, ille non tam gratiam dare vult, quam accipere. Sermo aliâs candidè gratus multam vim proximum in suas partes trahendi habet, qualis hinc Ministros maximè decet. 1. Thess. II. 8. 9.

XXXII. VI. *Loqui prudenter*, maximè πρὸς τοὺς ἔξω Col. IV. 5. candor sermonis verus cum prudentia conjunctus esse debet. Prudens itaque audientes & circumstantias observat atque hinc colligit, quid & quomodò loquendum. Cum incipientibus de fundamentis fidei, cum perfectioribus de altioribus dogmatibus,

cum unoquoque pro ſtatu ſuo agit. Prudentia maximè requiritur præſentibus veritatis hoſtibus Matth. X. 16. Non ſunt temere irritandi, nec etiam cum damno veritatis mitigandi. Quæſtiones captioſæ declinandæ, generali reſponſione ſolvendæ, ex conceſſo principio confutandæ atque ita fallacia hoſtium confundenda eſt, Matth. XXI. 24. XXII. 16. 21. 31. 46. ſicut Chriſtus exemplo ſuo præivit. Quæ prudentia, ſingulare Spiritûs S. opus, efficax in illis, qui publicum veritatis Chriſtianæ teſtimonium coram hoſtibus deponunt. Luc. XXI. 14. 15.

XXXIII. VII. *Loqui fortiter & conſtanter*, quando gloria DEI & ædificatio proximi poſcit. Veritas etiam, quæ in difficilem controverſiam vocatur, ore libero & conſtanti aſſerenda eſt. Talis confeſſio animum meticuloſis addit, confortatque in fide Eph. VI. 19. 20. Scriptura vocat μαρτύριον, *teſtimonium* κατ᾽ ἐξοχὴν tale. Matth. X. 18. Actor. IV. 33.

XXXIV. VIII. *Fidem datam liberare*. Promiſſurus ſive DEO ſive homini probe expendit naturam promiſſi & vires ſuas. Nec prius promittat, quam noverit promiſſum æquum eſſe, atque etiam ejus implementum in manibus ſuis ſtare. Promiſſo vero facto

fides

fides data liberanda est, qualecunque & cuicunque illud datum sit. Adeoque non solùm levius sed & molestius, non solùm amico & potenti sed & inimico ac impotenti dictum. Excipe tamen promissum peccaminosum, gloriæ DEI & saluti proximi adversum. Tale promittebatur injustè, præstaretur injustius.

XXXV. IX. *Tacere*, quando circumstantiæ docent sermonem & inutilem & noxium fore. Tit. III. 10. 11. Quales circumstantiæ, si auditores æstu affectuum abrepti sunt, aut jam sententiam deciderunt, antequam loquentem audiunt. Hac ratione sermo nihil proderit. Hostes ex eo nonnisi argumenta contra te colligent. His ex causis semel at iterum siluit Salvator. Siluit quoque David Ps. XXXIX. 2. & silentium imponit Christus. Matth. VII. 6. *ideò prudens silebit, nam tempus malum est.* Amos V. 13.

XXXVI. *Virtutes sermonis, quas hactenus notavimus, ita comparatæ sunt, ut quædem unâ sermoni inesse debeant, aliæ non.* Omnis sermo verus, candidus, utilis, prudens requiritur, non tamen omnis salsus, correptorius, &c.

XXXVII. *Officium quoque commune est, non*

 solùm

ſolum Paſtorum, ſed & Auditorum (quanquam illi modo ſpecialiori loquendi officium gerant.) DEUS omnes linguâ inſtruxit: Vult ergo ut omnes loquantur, non enim linguam tantum dedit ad edendum, uti beſtiis. Si verò vult, ut homines loquantur, vult quoque, ut vera, ſancta, utilia adeoque themata Chriſtiana eloquantur. Si hoc vult DEUS, vult quoque ut conveniant ad loquendum: Vel an tantum vult, ut, ſi forte ſibi occurrant, vera, ſancta, utilia proponant? Vel quæ illa ſtolida ratio eſt? Et quæ quæſo ratio interdicens colloquiis in rebus ſanctis, veris, Chriſtianis? Quare os liberum relinquitur ad nugas, tricas, jocos, irriſiones, ſermones ſpurcos ſpargendum, non vero ad vera, ſancta, pia? Paulus præcipit: *Deponite mendacium & loquimini* ἀλήθειαν, *veritatem,* verum Chriſtianiſmum. Eph. IV. 21. ἕκαςος μετὰ τῦ πλησίο ἀυτῦ, non ſolum Paſtor cum auditoribus ſed *unusquisque* ſine diſcrimine conditionis, ætatis, (modò mendacium depoſuerit) *cum proximo ſuo* omni homine, qui veritate delectatur, *nam membra invicem ſumus.* Quicunque igitur membra corporis Chriſti ſunt, illi facultatem, imò præceptum habent conveniendi & colloquendi de rebus veris, Chriſtianis, ad-

admirabili luce, qua à DEO dotati Eph. IV. 25. 1. Petr. II. 9. Tunc, quando athei colloquuntur, *etiam colloquentur timentes DEUM unusquisque cum proximo suo.* Malach. III. 16. 14.

XXXVIII. *Habet quoque hoc sermonis officium suos gradus.* Quod in gratia fit, id prædumbrat natura. Pueruli primò balbutiunt: Postea distinctiores sonos formant, sed orationem ritè construere nequeunt, donec expertiores facti. Metus sæpius inexercitatorum os obthurat. Recens nati in Christo sæpius in dicendo impingunt. Mentem explicare nequeunt aut cernentes confessionis liberioris pericula percelluntur atque tacent, quando pro veritate loqui deberent. At facundi & prudentes Oratores illi sunt, qui exquisitissimos atque circumstantiis accommodatos sermones de veritate in Christo JESU magna cum claritate atque efficacia fundunt, etiam tum, quando ejusmodi salutares sermones non sine periculo dicuntur.

XXXIX. *Has verò dicendi virtutes nemo hominum naturâ habet.* Naturâ omnes mendaces sumus. Quoniam enim naturâ res spirituales, Christianas, sanctas ignoramus, odio habemus, de iis loqui nequimus. Linguæ nostræ præputiatæ imò ligatæ sunt; at

at volubiles ad garriendum, dolosè agendum cum proximo, eumque lædendum. Jac. I. 19. Rom. III. 13. 14.

XL. *Habet verò dono DEI, operatione Spiritus S. propter meritum JESU Christi. Si vos tradent, nolite soliciti esse, quomodo aut quid locuturi sitis. Nam eâ horâ dabitur vobis, quid locuturi sitis, non enim vos estis, qui loquimini sed Spiritus Patris vestri est, qui in vobis loquitur.* Matth. X. 19. 20. conf. Luc. XXI. 14. 15. *Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem.* Joh. XVI. 13. Paulus notat hominem regenitum *creatum esse secundum DEUM in justitia & sanctitate veritatis.* Hinc officium mendacii deponendi & veritatis eloquendæ deducit, atque ita innuit beneficium & officium regenitorum esse, linguâ rectè uti. In quo igitur Spiritus Sanctus est, ille docebitur an loquendum & quid loquendum, uti docuit Christum & Apostolos.

XLI. *Media verò, quibus uti debemus, sunt:* Spiritum veritatis, quem Christus promisit, expetere, exspectare, præsenti obedire, non verò illi obstrepere. Dein verbum DEI diligenter & attentè legere. Quia enim verbum veritatis, candoris, efficaciæ est; quia officium hoc toties commendat & exempla eorum, qui linguâ rectè usi

sunt,

ſunt, monſtrat, ad probatum ſermonis uſum multum facit. Tum obſervanda Jacobi regula: *Eſto omnis homo celer ad audiendum, tardus ad loquendum.* Jacob. I. 19. Antequam loquimur, rectè, prudenter penſitamus, num & quid loquendum ſit, probè obſervamus affectus noſtros, quibus linguâ obedire non debet. Compeſcenda eſt lingua, quàm Gehenna incendere vult. Jac. III. 2. 6. Obſervanda inſuper Pauli regula: *Veritati ſtudeamus in charitate* Eph. IV. 15. quæ quidem ſemper valet, maximè quando nobis cum hoſte veritatis res eſt. Sæpiſſimè enim fit, ut charitatis nullam rationem habeamus, atque adverſarii opinionem in deteriorem partem flectamus, quam ipſe accipit. At hac ratione & charitatis & veritatis obliviſcimur animumque adverſarii magis hoſtilem veritati propriâ culpâ facimus. Ultimò pectora noſtra munienda ſunt adverſus quasvis machinationes Diaboli ejusque inſtrumentorum. Quamprimum enim homo linguam ſuam veritati ſacram facit, Diabolus adverſus illam bellum geret. *Veritas*, ut vulgò rectiſſimè dicitur, *odium parit*, Amos V. 10. Proxima quoque via eſt ad ludibrium, infamiam, notam hæreſeos, quam teſti-

bus

bus veritatis mendaces homines inurunt. Itaque cum Apostolis animus firmandus est, ut si ὡς πλάνοι, *tanquam seductores*, opinione, convitio hominum malorum, seducentium alios habemur tamen ἀληθεῖς, *veraces* re ipsa, ex judicio DEI & illorum, qui veritatem præconceptis opinionibus, authoritati humanæ præferunt. 2. Cor. VI. 8. inveniamur.


XLII. Ad hunc linguæ usum commoveant nos præceptum DEI sub utroque Testamento Zach. VIII. 16. *Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo.* Eph. IV. 25. *Deponite mendacium & loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo.*

XLIII. *Natura subditorum Christi.* Hi sunt ex *veritate* Joh. XVIII. 37. deposuerunt mendacem, quam à patre mendaciorum habent, naturam & in regeneratione ex veritate, nati sunt. Sunt igitur corde, ore aliisque signis externis sine fuco.

XLIV. *Lingua excellens donum.* Duo sunt, quæ nos à bestiis distinguunt. Ratio & Oratio sive sermo. Hinc lingua *gloria* hominis habetur. Itaque excellens hoc donum, quod gratia DEI habemus, vult, ut illâ nonnisi ad gloriam DEI utamur. Jacob. III. 9-13.

XLV. *Fructus verus.* Mendaces confunduntur,

duntur, fidem amittunt penes hominem, cœlo excludentur, sed veritas neminem erubescere finit & quanquam ab initio graves hostes habeat, eos tandem vincet. Talis lingua digna habebitur, quæ laudes divinas in cœlo decantabit.



CAPUT XII.

De

PACE.

Σύνοψις.

Vitia, quæ paci cum proximo colendæ adversantur, sunt

1. *Animus pronus ad contendendum.* §. *I.*
2. *Tum contentio ipsa.* §. *II.*
3. *Dein processus judiciales.* §. *III.*
4. *Insuper verbera & pugna.* §. *IV.*
5. *Denique tuba contentionum.* §. *V.*

Vitia hac in omni vita, civili, literaria & Ecclesiastica reperiuntur. §. *VI.*

Unde constat varias eorum species & gradus esse. §. *VII.*

Aperiuntur eorum fontes. §. *VIII.*

Datur tamen bellum Evangelicum legitimum §. *IX.*

Cujus characteres producuntur. §. *X.*

Distinguiturque ab illegitimo. §. *XI.*

Vitiorum supra memoratorum

torum damnum ostenditur. §. *XII.*	ב. *Animum suum observare.* §. *XXII.*
Tum definitur ipsa, quæ hoc loco tractatur, virtus, pax scil. §. *XIII.*	ג. *Prævenire incitamentis, occasionibus contentionum, easque fugere.* §. *XXIII.*
Requirit animum pacis studiosum. §. *XIV.*	ד. *Libertatem aliis relinquere.* §. *XXIV.*
Ex quo verba & facta pacalia proveniunt. §. *XV.*	ה. *Bellum gerere adversus se ipsum.* §. *XXV.*
Pax colenda est cum omnibus, etiam inimicis. §. *XVI. XVII.*	ו. *Studere sapientiæ cœlesti.* §. *XXVI.*
	Motiva sunt.
Summus gradus est pacem facere. §. *XVIII.*	I. *Ipse DEUS pacis.* §. *XXVII.*
Virtus hæc naturâ nobis non inest. §. *XIX.*	II. *JESUS Christus pax nostra.* §. *XXVIII.*
Donatur à DEO. §. *XX.*	III. *Natura N. Testamenti.* §. *XXIX.*
Nostrum tamen est mediis uti.:	IV. *Pax optima rerum.* §. *XXX.*
Qualia sunt א. *Scriptura.* §. *XXI.*	V. *Voluntas DEI.* §. *XXXI.*

****

§. I.

HUic erga proximum testando officio adversatur I. *Animus invidus, iracundus, proclivis ad contendendum, sive occasione datâ, sive etiam quæsitâ.*

II. 2. *Lis,*

II. 2. *Lis, contentio, clamor, vociferatio.* Contentiosus ex impetu cordis pugnacis cum altero litigat, si quid honori aut commodo suo detrahitur, aut etiam solùm suspicatur. Si lana caprina est, aut etiam quid vilius hac, mox bellator æstuat, faciem torvam erga proximum exerit, clamat, vociferatur, minatur, imprecatur, omnis, quæ erat aut videbatur, amicitia tollitur commutaturque in inimicitiam. Hinc de altero sine stomacho non cogitat, sine acerbitate non loquitur, eum sine oculo malo non videt, ædes & conversationem cum eo evitat &c.

III. 3. *Processus judiciales.* Quando lis orta ad judicem defertur, per advocatos, qui sæpius jurati pacis civilis hostes sunt, conservatur, augetur & nonnunquam usque ad pugnantium mortem mansura imò *immortalis* redditur.

IV. 4. *Verbera, pugnæ, bella.* Tandem pugnaces à verbis ad verbera, à minis ad pugnas deveniunt, atque jam minorem, jam majorem noxam corpori, bonis inferunt.

V. 5. *Tubæ contentionum, bellorum.* Quales qui insusurrando, suadendo, urgendo auctores sunt, ut inimicitia geratur, servetur, crescat.

VI. *Vitia hæc existunt, serpunt, grassantur in vita civili, literaria, Ecclesiastica. In illâ:* quando cives ob bona, famam & similia secum altercantur, pugnant. In *istâ:* quando Grammatici, Philologi, Philosophi, Historici aliique pugnaces literati ob quæstiones Grammaticas, Philologicas, Philosophicas, Historicas similesque secum pugnant & immortales lites serunt ducuntque. *In hâc:* quando ob speculationes Theologicas circa themata sæpius sublimia, inutilia, abstrusa, modum tantùm vel terminos rei concernentia, ceremonias, libertatem non solùm logomachiæ sparguntur, sed & mansura dissidia constituuntur, confirmantur, dissentientes odio habentur, à juribus non solùm Ecclesiæ, sed & civitatis, quæ alioquin Judæis conceduntur, excluduntur.

VII. *Dicta docent & varias contentionum species & gradus.* Inimicitia, quæ in corde exorditur, in faciem prodit, per os erumpit, in verbera aliaque facinora desinit. *Gradus insuper cognoscuntur ex causis:* Nam quò minor pacis ruptæ causa, eò turpior est pugna. *Ex effectibus:* Quò hi magis noxii & latius perdunt, tantò inimicitia fœdior. *Ex duratione:* Transitoria inimicitia paci adversatur, multò magis mansura.

VIII. *Me-*

VIII. *Memoratorum vitiorum communis fons est caro.* Nam carnis opera sunt *inimicitia, lites, Zeli, excandescentia, contentiones, dissidia, hæreses* Gal. V. 20. *Unde bella & pugnæ inter vos? Annon inde? A voluptatibus vestris, quæ in membris vestris militant?* Jac. IV. 1. Observa lites, quæ in mundo sunt, processus judiciales, qui in Dicasteriis instituuntur, ducuntur, & reperies oriri ex cupiditate habendi. *Bella speciatim Ecclesiastica ortum trahunt ex quæstionibus stultis, indisciplinatis, Genealogicis, fabulis.* Hinc Paulus: *stultas & indisciplinatas quæstiones repelle, sciens, quod pugnas gignant.* 2. Tim II. 23. *Qui non accedit ad sanos sermones Domini nostri JESU Christi & doctrinam secundum pietatem, ille inflatus est & nihil scit, sed ægrotat circa quæstiones & logomachias, ex quibus oriuntur invidia, contentio, blasphemia, suspiciones malæ.* 1. Tim. VI. 3 4. conf. Cap. I. 4. Tit. III. 9. *Ortum quoque trahunt ex ceremoniis & ritibus Ecclesiasticis.* Quando scil. homines sub specie sapientiæ, sanctitatis ac auctoritatis Ecclesiasticæ aliis δόγματα obtrudunt, hi verò oneri injustè imponendo humeros supponere nolunt: Quando porrò ejusmodi δόγματα *placita* humana parietem intergerinum struunt, unionem tollunt,

 discor-

discordiam alunt, sectas stabiliunt. Id quod Christo ejusque Regno variè adversatur. *JESUS Christus pax nostra est, faciens ex duabus* (Gentibus, Judaica & Ethnica) *unam & parietem intergerinum solvit: Inimicitiam in carne sua, legem praeceptorum in dogmatibus abrogavit.* Quoniam ceremoniae & ritus Ecclesiastici per Mosen instituti Judaeos à Gentibus distinxerant fecerantque inimicitiam, Christus illos sustulit. Quam injustè novi conduntur atque ex uno populo non duo sed longe plures constituuntur. Eph. II. 14. 15. Coloss. II. 20-fin.

IX. *Datur tamen bellum Evangelicum legitimum, sacrum, quod, qui ducunt, minimè reprehendendi, sed laudandi sunt.* Horum antesignanus Christus est. Matth. X. 34. 35. *Nolite putare, quod venerim ad pacem super terram projiciendum: Non veni ad pacem projiciendum sed gladium. Veni enim ad dissidere faciendum hominem contra patrem suum, & filiam contra matrem suam, & sponsam contra socrum suam. Et hostes hominis domestici sui erunt.*

X. *Quando verò verba haec facile ad malam contentionem defendendum, probandum detorquentur, consultum videtur, ut Evangelici belli genuini characteres producantur,* qua-

les

les sunt (*a*) JESUM Christum ejusque doctrinam publice ore & vita coram Principibus & Regibus profiteri: nec eorum minis, pœnis à professione contineri. *Vide nexum loc. cit.* (*b*) Malle parentum, consanguineorum odium, invidiam incurrere, ferre, mala pati, quàm à dilectione Christi & observatione præceptorum ejus recedere. (*c*) pugnare sine armis carnalibus 2. Cor. X. 3. 4. Christus nullo gladio, humanâ potentia instructus bellum hoc gerebat. (*d*) Pugnare armis spiritualibus: veluti precando, credendo, sperando, veritatem loquendo, sanctè vivendo, cor convincendo. Eph. VI. (*e*) Animum erga hostes in pugna benevolum, commiseratione plenum habere. Sacri hi milites sic propriam salutem defendunt, ut simul hostes suos ex imminenti periculo liberent, aut saltem liberare studeant.

XI. *Cum hac lucta nihil commune habent ii, qui pro propriis opinionibus, logomachiis, quæstionibus legalibus pugnant:* qui Principibus, Magistratibus placentes doctrinam Christi mutilant, invertunt: qui omnia propter terrestre commodum & dignitatem agunt: qui armaturam DEI non habent: Qui vi externa, favore Magistratuum,

auxilio carnificum opiniones suas defendunt: qui animum irreconciliabilem erga dissentientes tenent.

XII. *Litibus & pugnis varia insunt, quæ animum à litigando alienum reddere debent.* Litigans non solùm proximo vitam adversam & molestam reddit, sed & sibi ipsi. Diu noctuque irrequietus vivit: viscera effervescunt, sanguis accenditur, facies belluina est, etiam illis, qui de lite non participant, morosum se præbet litigator. Et quo cum successu? Nullo Jacob. IV. 2. Saltem sæpius: Aut tandem res post difficilem pugnam transigenda, quæ rectius ab initio benignè transacta fuisset. Duobus litigantibus tertius gaudet. Nulla tamen pugna deterior tali Ecclesiasticâ. Ecclesias DEI dedecet, quæ lites non amant. 1. Cor. XI. 16. Charitatem, quæ essentialis nota Christianismi est, lædit, unioni obstat, parietes intergerinos struit, quos tamen Christus sublatos vult. Et quoniam Zeli pro gloria & veritate divina nomen sumit, humanis pectoribus altissimè infigitur atque aliquando latè grassatur. Disputando magis amittitur veritas, quam invenitur, uti exempla per plura secula testantur.

XIII. *Missis his vitiis transimus ad oppositam virtu-*

virtutem, pacem scil. qua quis sibi cavet ab omni offendiculo proximo ponendo, agit verò ea, quæ amicitiam conservant, atque omnia, quæ potest, in benigniorem partem interpretatur.

XIV. *Officium hoc plenius cognituri observamus ipsum animum pacis studiosum esse debere.* Alioquin pax cum proximo haberi aut ali nequit. Fucata tantum est amicitia, quæ in litem erumpit levi de causa.

XV. *Ex animo pacis studioso fluunt verba & facta pacalia.* Quicquid ejusmodi loquitur aut agit, amicitiam, pacem spirat. Non igitur loquitur, quod proximum jure offendit. Nec agit, quod illi adversum aut noxium est.

XVI. *Pacem colit non solùm cum proximo paci dedito, sed & illo, qui litis materiam suppeditat.* Pacis gratiâ verba & facta duriora silentio quasi prætcrit, rumoribus non credit, aut in benigniorem partem interpretatur, quæ in deteriorem explicari possent, levius in bonis terrestribus damnum non curat. 1. Corinth. VI. 7. Amicitiam culpâ alterius ruptam redintegrare propendet, studet, persequitur.

XVII. *Quod officium omnibus præstandum est*, non solùm consanguineis, ejusdem fidei sociis, amicis, sed & inimi-

micis, illis, qui aliam fidem[1] profitentur, *cum omnibus hominibus*, hostibus speciatim, ut nexus vult, *pacem habete* Rom. XII. 18. 19.

XVIII. *Gradus hujus officii propè summus erit* εἰρηνοποιεῖν *pacem facere*. Quando scil. aliis inter se litigantibus, contendentibus, anathematizantibus εἰρηνοποιὸς omni ratione id agit, ut lis componatur, vera in DEO pax instituatur, colatur. Quod officium Christianis commune est; attamen singulariter competit genuinis Judicibus, Advocatis, Pastoribus. Hæc enim munera pacis colendæ aut redintegrandæ gratiâ instituta sunt. Tales se filios DEI probant Matth. V. 9. Suntque DEO & Christo similes. At Satanæ, turbatori rerum civilium & Ecclesiasticarum serviunt πολεμοποιοὶ *tubæ contentionum*.

XIX. At homines naturâ *viam pacis non nôrunt* Rom. III. 17. Carnales quippe sunt, hinc carnis fructus proferunt. Gal. V. 20. Suum veluti commodum & honorem unicè quærunt, auctum cupiunt, atque student, ut etiam cum damno alterius augeatur. Hinc contentiones oriuntur plurimæ.

XX. *Pax ergo virtus est, quæ à DEO datur.* Unde dicitur *DEUS pacis* 1. Thess. V. 23. qui corda hominum gaudio & pace implet.

Rom.

Rom. XV. 13. JESUS Christus *princeps pacis* Jes. IX. 5. ceu per quem pax in terra data omnibus, qui ipsum in fide apprehendunt. Luc. II. 14. Rom. V. 1. hinc ait: *Relinquo vobis pacem: pacem meam do vobis, non eam do, uti mundus dat.* Joh. XIV. 27. Spiritus Sanctus verò quasi arbor pacis, nam *pax, longanimitas, mansuetudo* fructus Spiritûs sunt. Gal. V. 22.

XXI. *Pcis cultor sequentibus mediis utatur.* 1. Prudenter legat Scripturam S. speciatim Evangelium, quod passim pacem commendat, inculcat, urget Matth. V. 33-fin. monstrat exempla pacificorum, JESU Christi, Apostolorum, Christianorum. Ex adverso idem monstrat animum hostilem, contentiosum Pharisæis, scribis fuisse.

XXII. 2. *Animum suum probè observet.* Quamprimum in illa sinistrum affectum, invidiam, odium oriturum observat, tamprimum resistat. Principiis facilè resistitur: Difficulter, si affectus ad tempus animo infixus mansit, aut jam prodiit.

XXIII. 3. *Præveniat incitamentis, occasionibus contentionum, aut fugiat eas:* Tales sunt: joci, lusus, comessationes, rumores, cupiditates. Cedat potius de jure suo, atque ita mitiget proximum ad litigandum procli-

vem. *Stultas quæstiones & Genealogias & lites & pugnas legales* περιΐστασο *velut circumquaque obside* ne te vincant aut alios. Tit. III. 9.

XXIV. 4. *Libertatem aliis relinquat, quam ipse pro se cupit, maximè in causa religionis.* Quis non vult juxta animum suum DEUM cognoscere & colere? Ergo eandem libertatem aliis relinque. Quis te constituit Dominum fidei in alius conscientiam?

XXV. 5. *Bellum gerat adversus seipsum, carnem, mundum, satanam, malos Spiritus.* Inest homini facultas irascibilis, quam hinc exerere debet. Sed videat, ut eam rectè exerat. Peccant plerique, quod eam exerant erga DEUM ejusque creaturas, quam exerere deberent erga peccatum ejusque instrumenta. Hinc DEUS statim post peccatum semen Evæ vocavit ad *inimicitiam*, hostilitatem usque ad totale exitium cum Satana gerendum. Gen. III. 15. vult, ut omnes Christiani sternui milites sint certantes cum principatibus, potestatibus imperatoribus mundi Eph. VI. 12. Et certè, qui hoc arduum bellum ingrediuntur, ultrò ad pacem cum proximo colendum propendebunt. Etenim in illo satis luctæ reperiunt & peroptant fidos συστρατιώτας *commilitones*, quo-

quorum exemplo, auxilio in bello hoc sacro superiores fieri valent.

XXVI. 6. *Studeat sapientiæ cœlesti.* Hæc enim est εἰρηνική *pacifica*. Jac. III. 17. quum contra terrestris & humana Zelans, acerba, hinc dissidiorum causa sit.

XXVII. *Incitamento sit ipse DEUS.* Quanquam enim homo peccando iram DEI provocaverit, castra Satanæ intraverit pugnetque adversus DEUM; DEUS adeoque summum jus habeat hominem tanquam hostem suum habendi, tractandi, excludendi à communione suâ, ille tamen jam ab æterno consilium pacis iniit, ingenti sanguinis filii sui pretio pacem fecit, eamque per Evangelistas prædicari jussit, ut cum creatura sua rursum reconciliaretur. Annon divinum hoc exemplum nos incitare debet, ut cum proximo pacem colamus. Certè nemo pacem cum DEO sibi promittere valet, ipse bellator cum proximo. DEUS pacem init cum parte lædente, se longissimè inferiori. Quantò magis homo cum homine, quorum uterque pace divina indiget.

XXVIII. *Dein Christus.* Hic princeps pacis alios subditos, quam pacis filios habere non vult. *Ille pax nostra est & ex duabus (gentibus) unam fecit, atque parietem intergerinum solvit.*

solvit. Eph. II. 14. *pacem faciens per sanguinem crucis suæ.* Coloss. I. 20. Genuini itaque Christiani Christo pacifico similes sunt: Imò non solùm pacem tenent cum amicis, sed & hostes reconciliare student.

XXIX. *Tum Natura N. Testamenti.* Sub veteri ἔχθρα erat, DEO ita per legem ceremonialem ordinante. At sub Novo Lex hæc, quanquam divina, auferenda erat, ut una tantum Gens in Christo esset: Conjunguntur cœlestia & terrestria in Christo. Omne Dominium in rebus Religionis sublatum est, manente illo solo, quod Christi est.

XXX. *Insuper Pax optima rerum.* Veriverbium valet de pace domestica, civili, quantò magis sacra. Quàm exoptatus status illorum, qui nullas adversitates, turbas timendas habent. Qui quieti vivunt: Qui, quos vident, ut amicos suos intuentur, experiuntur, atque tales erga illos se exhibent. Quàm amabile est, si fratres unà in pace consident, de DEO pacis loquuntur, pace spirituali implentur,

XXXI. *Tandem voluntas DEI. Si possibile, quantum penes vos, pacem habete cum omnibus hominibus.* Rom. XII. 18. *Pacem cum omnibus persequimini.* Hebr. XII. 14. *persequere,* hortabatur Paulus Timotheum, atque sub

eo Miniſtros quosvis, *pacem.* 2. Tim. II. 22. *Igitur perſequamur, quæ ad pacem & mutuam ædificationem faciunt.* Rom. XIV. 19. libertatem proximo relinquendo, quàm ipſi DEUS dat.

****

CAPUT XIII.

De
Amore Proximi.

Σύνοψις.

Vitia oppoſita ſunt.
1. *Proximum non amare.* §. I.
2. *Amoris ſigna tantùm præ ſe ferre.* §. II.
3. *Amare non niſi eos, qui nos amant.* §. III.
4. *Amare cæcè.* §. IV.
5. *Odio interno proximum proſequi.* §. V.
6. *Odium actu exerere.* §. VI. VII.
Vitiorum horum gradus. §. VIII.
Fontes. §. IX.
Turpitudo notatur. §. X.
His vitiis opponitur amor proximi. §. XI.
Profluens ex corde. §. XII.
Eoque benevolo. §. XIII.
Et puro. §. XIV.
Intra quod verus amor non ſubſiſtit. §. XV. XVI.
Teſtimonia amoris externa comparata ſunt ad ſtatum amati. §. XVII. XVIII.
Vel generatim. §. XIX.
Vel ſpeciatim infelicis aut felicis conſiderati. §. XX-XXIII.

Et

§. I.

A*Mori proximi repugnant sequentia vitia.* 1. *Animum quidem ab odio actuali erga proximum liberum habere, sed etiam ab amore.*

Nam

Nam quanquam talis non odio habeat, ille tamen quoque non amat, quod verò ejus officium. Unde non amans pre odio habente à Johanne habetur. 1. Joh. III. 14. 15. Et is, qui propensionem cordis erga proximum non fovet, levi de causa odium erga illum exeret. At dices: Innumeri sunt homines iique maximam partem ignoti: Qua nunc ratione animus erga hos actuali amore propendere valet? ℞. Non quidem speciatim amari potest, qui speciatim non notus est, sed tamen generatim sive propendet generali amore erga omnes homines eosque DEO integrè commendat. Hujus tamen generali propensionis genuinus Character est, si eum, quem hactenus non novit, nunc verò novit, speciatim amat, exhibetque erga eum debita amoris documenta.

II. 2. *Externa amoris signa tantùm præ se ferre.* Id quod fit gestibus, sermone, calomo. Jacob. II. 15-18. 1. Joh. III. 18. Amor hic hypocriticus est & sæpius plus nocet quam actuale odium.

III. 3. *Amare nonnisi amantes.* Qui publicanorum amor, Christo notante, est Matth. V. 46. Non quod amantes amandi non sint, sed non soli. Eodem pertinet amor Consangui-

ſanguineorum, Patronorum, Civium, Sociorum ejusdem Religionis, ſi ſolus eſt.

IV. 4. *Amare Cæcè.* Quandò nulla amoris ratio eſt aut potius odii: quandò quidem putamus nos alterum effusè diligere, quem vero ingenti odio habemus aut quem hoc noſtro amore in ingens damnum inducimus. Sic cœcus amor inter colluſores, Comeſſatores eſt. Parentes quoque cœco hoc amore laborant, qui liberis ſuis indulgent, connivent, permittunt, ut ex carnis motu vivant, otientur, ſe recreent.

V. 5. *Odio interno proximum proſequi.* Si talis de proximo cogitat, aut eum videt vel de eo audit, tum in eo ſurgit affectus malevolus, invidet fortunæ, lætatur ob infortunium ejus. Quanquam affectus hic ob metum vel alias cauſas foràs non prodeat.

VI. 6. *Odium exerere.* Si malevolentia cordis erumpit in maledicentiam ac malas noxiasque actiones, quibus proximi bona, fama, ſanitas, vita læditur aut prorſus aufertur.

VII. Huc nunc referri poſſunt plurima illa vitia ſuperioribus capitibus notata, ac notanda ſequenti, nam omnes injuſtitiæ, maledicentiæ, inimicitiæ & immiſericordiæ ſpecies adverſus amorem proximi militant, imo

imo ex defectu amoris & malè substituto odio profluunt. Confer quoque, quæ alibi generatim de vitioso amore scripsi, *de Inspectione sui ipsius.* Cap. XIV. 11-17.

VIII. *Cuncta hæc amori proximi repugnant quidem, sed diverso in gradu.* Primus gradus non amare: Alter actuali odio cordis laborare: Hunc superat odium ore evomere: Quo superior is, qui manibus aliisque instrumentis noxam proximo infert. Quanquam casus reperiantur, in quibus actuale externum odium minus interno, atque blanda verba, officiosi gestus, actualia beneficia plus odii & magis noxii contineant quam aspera verba, dedecentes gestus ac malefacta.

IX. *Attendentes ad vitiorum, quæ memoravimus, causas, plures reperiemus. Speciatim hic notamus perversum sui ipsius amorem.* Quia enim homo seipsum perversè amat, fit ut honos, fama, divitiæ, quas proximus possidet, odium, invidiam excitent. Quicquid enim alter possidet, ipse possidere cupit. *Ignorantiam proximi.* Ignorat proximum creaturam Dei esse, fratrem, consanguineum suum: Habet eum crasso aëre natum, se longè inferiorem, indigniorem. Hinc amoris testimonia erga eum nulla exhibet.

R *Præ-*

Præjudicia & inolitos mores. Laudatur aliquando Zelus adversus proximum, ut si hic Civis alîus civitatis, membrum alîus Religionis, qui tamen nihil aliud quam fervidum carnis odium est. Præeunt qui deberent esse, quique habentur optimi amoris magistri ac exempla. Quid mirum, si horum filii Parentes imitantur ac nonnisi eos amant, à quibus amantur, quique eandem societatem constituunt.

X. *Quàm enormia hæc vitia sint, constat primò inde*, quod hominem inidoneum reddant ad DEUM amandum. Mendax quippe is, qui se DEUM amare affirmat, nec proximum amat. 1. Joh. IV. 20. Tum animam quasi decus & facilitatem quibusvis officiis erga proximum præstandis adimunt. Quicquid das, agis, pateris propter proximum, nec eum amas, Christianum factum haud quaquam est. *Porro* gratiam DEI intercipiunt & omnem cultum nostrum inutilem reddunt Matth. V. 23-26. VI. 15. *Præterea* deficiente benevolo, præsente maligno cordis affectu, facilis præcipitatio ad summa facinora, pugnas, bella, homicidia. *Denique* tales viam Caini calcant. Cain enim Abelem odio habuerat trucidaveratque fratrem.

XI. *Oppositum officium est proximi amor sincerus*

benevolus ac purus cordis affectus, quo in proximum propendeo, ac facio, quæ ipsi grata ac utilia sunt.

XII. *Primò fluit amor ex corde.* Id quod unusquisque, qui verè amat, in se sentit. Hinc etiam Paulus amorem *ex corde* derivat. 1. Timoth. I. 5.

XIII. *Dein affectus cordis benevolus est.* Plures sunt cordis passiones. Hæc in amore est propensio, benevolentia, gaudium ex felici, tristitia ex infelici proximi statu.

XIV. *Porrò affectus purus est.* 1. Tim. I. 5. Sic distinguitur ab amore impuro, lascivo, cui sæpius fortior propensio erga alterum inest, quàm genuino. Sed oritur ab objecto impuro, uti in scortatione, voluptuoso aut simili. Quum propensio, benevolentia, de qua hìc, excitetur à Spiritu Sancto Rom. V. 5. erga objectum divinum personale aut reale.

XV. *Affectus tamen cordis intra cor non subsistit.* Amor rectè igni comparatur, qui splendorem emittit, calefacit, & clausus vi erumpit. Pariter se cum amore habet. Τὸ γνήσιον τῆς ἀγάπης, *sinceritas amoris* exploratur ἐνδείξει *demonstratione* 2. Cor. VIII. 8-24. Vel quis crederet amare eum, qui nulla amoris signa testata facit?

XVI. *Ergo amor cordis internus externè prodit.* Calor veluti transit corpus. Gratia, amabilitas cernuntur in facie: Verba audiuntur grata, efficiosa. Gestus ad amicitiam composita sunt, facta exhibentur amanti jucunda, utilia. Luc. VII. 38-47.

XVII. *Testimonia amoris externa, comparata sunt ad amati, & amantis statum.*

XVIII. *Amatum*, sive proximus, qui amatur, *considerari potest vel in genere vel in specie.*

XIX. *In genere consideratur ut creatura DEI, mirum artificium Numinis, caro nostra, frater noster.*

XX. *In specie verò ut infelix*, versans in misero statu quoad animam aut quoad corpus vel quoad corpus ac animam simul.

XXI. *Vel ut felix*, possidens bona terrestria aut spiritualia, cognitionem, sapientiam, Spiritum Sanctum.

XXII. *Rursum consideratur vel generali vinculo nobis junctus, vel speciali sive naturali sive simul supernaturali: qui beneficia dedit aut qui accepit.*

XXIII. *Amator unumquemque pro statu & meritis suis amat.*

XXIV. *Omnem igitur hominem amat tanquam creaturam DEI.* Quem docta DEI manus tam artificiosè formavit, atque in

eo

eo perfectionum suarum claros characteres expressit. Amamus principum liberos. Annon liberi DEI amandi sunt? Et quidem ii, qui ejusdem nobiscum carnis, sanguinis & ossium, quibus idem parens in terra & cœlo obtigit. Hic amor, si genuinus, à nobis poscit, ut proximo ex corde bene velimus, atque ei occasione data benè faciamus.

XXV. *Amat proximum infelicem.* Infelicitas ejus compassionem excitat. Optat animitus, ut ex ea liberetur. Manum quoque porrigit, ut infelicitati ejus finem faciat. Infelicem animâ amat, intercedens pro illo apud DEUM, ut peccata remittat, ipsi in Christo propitius sit, donet Spiritum Sanctum convertentem, sanctificantem, illuminantem, consolantem cor ejus. Ipse quoque juvat eum salutari institutione, correptione, adhortatione, solatio, consilio. Infelicem corpore opibus amat, ægrotum invisendo, ferendo, necessaria pro eo officia subeundo, esurientem cibando, sitientem potando, nudum vestiendo, apud divites & liberales pro eo intercedendo &c. de quibus Σ. Θ. subsequenti capite.

XXVI. *Amat proximum felicem.* Hujus felicitas causa lætitiæ ipsi est, optat ut peren-



§. I.

A*Mori proximi repugnant sequentia vitia.* 1. *Animum quidem ab odio actuali erga proximum liberum habere, sed etiam ab amore.*

Nam

Nam quanquam talis non odio habeat, ille tamen quoque non amat, quod verò ejus officium. Unde non amans pre odio habente à Johanne habetur. 1. Joh. III. 14. 15. Et is, qui propensionem cordis erga proximum non fovet, levi de causa odium erga illum exeret. At dices: Innumeri sunt homines iique maximam partem ignoti: Qua nunc ratione animus erga hos actuali amore propendere valet? ℞. Non quidem speciatim amari potest, qui speciatim non notus est, sed tamen generatim sive propendet generali amore erga omnes homines eosque DEO integrè commendat. Hujus tamen generali propensionis genuinus Character est, si eum, quem hactenus non novit, nunc verò novit, speciatim amat, exhibetque erga eum debita amoris documenta.

II. 2. *Externa amoris signa tantùm præ se ferre.* Id quod fit gestibus, sermone, calamo. Jacob. II. 15-18. 1. Joh. III. 18. Amor hic hypocriticus est & sæpius plus nocet quam actuale odium.

III. 3. *Amare nonnisi amantes.* Qui publicanorum amor, Christo notante, est Matth. V. 46. Non quod amantes amandi non sint, sed non soli. Eodem pertinet amor Consangui-

ſanguineorum, Patronorum, Civium, Sociorum ejusdem Religionis, ſi ſolus eſt.

IV. 4. *Amare Cæcè.* Quandò nulla amoris ratio eſt aut potius odii: quandò quidem putamus nos alterum effusè diligere, quem vero ingenti odio habemus aut quem hoc noſtro amore in ingens damnum inducimus. Sic cœcus amor inter colluſores, Comeſſatores eſt. Parentes quoque cœco hoc amore laborant, qui liberis ſuis indulgent, connivent, permittunt, ut ex carnis motu vivant, otientur, ſe recreent.

V. 5. *Odio interno proximum proſequi.* Si talis de proximo cogitat, aut eum videt vel de eo audit, tum in eo ſurgit affectus malevolus, invidet fortunæ, lætatur ob infortunium ejus. Quanquam affectus hic ob metum vel alias cauſas foràs non prodeat.

VI. 6. *Odium exerere.* Si malevolentia cordis erumpit in maledicentiam ac malas noxiasque actiones, quibus proximi bona, fama, ſanitas, vita læditur aut prorſus aufertur.

VII. Huc nunc referri poſſunt plurima illa vitia ſuperioribus capitibus notata, ac notanda ſequenti, nam omnes injuſtitiæ, maledicentiæ, inimicitiæ & immiſericordiæ ſpecies adverſus amorem proximi militant, imo

imo ex defectu amoris & malè substituto odio profluunt. Confer quoque, quæ alibi generatim de vitioso amore scripsi, *de Inspectione sui ipsius.* Cap. XIV. 11-17.

VIII. *Cuncta hæc amori proximi repugnant quidem, sed diverso in gradu.* Primus gradus non amare: Alter actuali odio cordis laborare: Hunc superat odium ore evomere: Quo superior is, qui manibus aliisque instrumentis noxam proximo infert. Quanquam casus reperiantur, in quibus actuale externum odium minus interno, atque blanda verba, officiosi gestus, actualia beneficia plus odii & magis noxii contineant quam aspera verba, dedecentes gestus ac malefacta.

IX. *Attendentes ad vitiorum, quæ memoravimus, causas, plures reperiemus. Speciatim hìc notamus perversum sui ipsius amorem.* Quia enim homo seipsum perversè amat, fit ut honos, fama, divitiæ, quas proximus possidet, odium, invidiam excitent. Quicquid enim alter possidet, ipse possidere cupit. *Ignorantiam proximi.* Ignorat proximum creaturam Dei esse, fratrem, consanguineum suum: Habet eum crasso aëre natum, se longè inferiorem, indigniorem. Hinc amoris testimonia erga eum nulla exhibet.

Præjudicia & inolitos mores. Laudatur aliquando Zelus adversus proximum, ut si hic Civis alius civitatis, membrum alius Religionis, qui tamen nihil aliud quam fervidum carnis odium est. Præeunt qui deberent esse, quique habentur optimi amoris magistri ac exempla. Quid mirum, si horum filii Parentes imitantur ac nonnisi eos amant, à quibus amantur, quique eandem societatem constituunt.

X. *Quàm enormia hæc vitia sint, constat primò inde*, quod hominem inidoneum reddant ad DEUM amandum. Mendax quippe is, qui se DEUM amare affirmat, nec proximum amat. 1. Joh. IV. 20. Tum animam quasi, decus & facilitatem quibusvis officiis erga proximum præstandis adimunt. Quicquid das, agis, pateris propter proximum, nec eum amas, Christianum factum haud quaquam est. *Porro* gratiam DEI intercipiunt & omnem cultum nostrum inutilem reddunt. Matth. V. 23-26. VI. 15. *Præterea* deficiente benevolo, præsente maligno cordis affectu, facilis præcipitatio ad summa facinora, pugnas, bella, homicidia. *Denique* tales viam Caini calcant. Cain enim Abelem odio habuerat trucidaveratque fratrem.

XI. *Oppositum officium est proximi amor sive bene-*

benevolus ac purus cordis affectus, quo in proximum propendeo, ac facio, quæ ipsi grata ac utilia sunt.

XII. *Primò fluit amor ex corde.* Id quod unusquisque, qui verè amat, in se sentit, Hinc etiam Paulus amorem *ex corde* derivat. 1. Timoth. I. 5.

XIII. *Dein affectus cordis benevolus est.* Plures sunt cordis passiones. Hæc in amore est propensio, benevolentia, gaudium ex felici, tristitia ex infelici proximi statu.

XIV. *Porrò affectus purus est.* 1. Tim. I. 5. Sic distinguitur ab amore impuro, lascivo, cui sæpius fortior propensio erga alterum inest, quàm genuino. Sed oritur ab objecto impuro, uti in scortatione, voluptuoso aut simili. Quum propensio, benevolentia, de qua hìc, excitetur à Spiritu Sancto Rom. V. 5. erga objectum divinum personale aut reale.

XV. *Affectus tamen cordis intra cor non subsistit.* Amor rectè igni comparatur, qui splendorem emittit, calefacit, & clausus vi erumpit. Pariter se cum amore habet. Τὸ γνήσιον τῆς ἀγάπης, *sinceritas amoris* exploratur ἐνδείξει *demonstratione* 2. Cor. VIII. 8-24. Vel quis crederet amare eum, qui nulla amoris signa testata facit?

XVI. *Ergo amor cordis internus externè prodit.* Calor veluti transit corpus. Gratia, amabilitas cernitur in facie: Verba audiuntur grata, officiosa. Gestus ad amicitiam compositi sunt, facta exhibentur amanti jucunda, utilia, Luc. VII. 38-47.

XVII. *Testimonia amoris externa, comparata sunt ad amati, & amantis statum.*

XVIII. *Amatum*, sive proximus, qui amatur, *considerari potest vel in genere vel in specie.*

XIX. *In genere consideratur ut creatura DEI, mirum artificium Numinis, caro nostra, frater noster.*

XX. *In specie verò ut infelix*, versans in misero statu quoad animam aut quoad corpus vel quoad corpus ac animam simul.

XXI. *Vel ut felix*, possidens bona terrestria aut spiritualia, cognitionem, sapientiam, Spiritum Sanctum.

XXII. *Rursum consideratur vel generali vinculo nobis junctus, vel speciali sive naturali sive simul supernaturali: qui beneficia dedit aut qui accipit.*

XXIII. *Amator unumquemque pro statu & viribus suis amat.*

XXIV. *Omnem igitur hominem amat tanquam creaturam DEI.* Quem docta DEI manus tam artificiosè formavit, atque in

eo

eo perfectionum suarum claros characteres expressit. Amamus principum liberos. Annon liberi DEI amandi sunt? Et quidem ii, qui ejusdem nobiscum carnis, sanguinis & ossium, quibus idem parens in terra & cœlo obtigit. Hic amor, si genuinus, à nobis poscit, ut proximo ex corde bene velimus, atque ei occasione data benè faciamus.

XXV. *Amat proximum infelicem.* Infelicitas ejus compassionem excitat. Optat animitus, ut ex ea liberetur. Manum quoque porrigit, ut infelicitati ejus finem faciat. Infelicem animâ amat, intercedens pro illo apud DEUM, ut peccata remittat, ipsi in Christo propitius sit, donet Spiritum Sanctum convertentem, sanctificantem, illuminantem, consolantem cor ejus. Ipse quoque juvat eum salutari institutione, correptione, adhortatione, solatio, consilio. Infelicem corpore opibus amat, ægrotum invisendo, ferendo, necessaria pro eo officia subeundo, esurientem cibando, sitientem potando, nudum vestiendo, apud divites & liberales pro eo intercedendo &c. de quibus Σ. Θ. subsequenti capite.

XXVI. *Amat proximum felicem.* Hujus felicitas causa lætitiæ ipsi est, optat ut perennis

nis sit perficiaturque. Felicem corpore, opibus amat, expetendo pro illo ut simul potiatur felicitate spirituali: desiderat atque etiam studet, ut ptoximus cognoscat, bona à Deo sibi data eaque referenda esse ad gloriam Dei. Instituit, monet proximum, ut cognoscat bona hæc summa nondum esse. Felicem animâ amat, ceu participem factum naturæ divinæ. Collætatur ob tantum bonum per peccatum amissum, gratia Dei rursum inventum. Hortatur seriò & fraternè, ut ingentem hunc thesaurum probè custodiat, fugiens inquinamenta carnis & Spiritûs.

XXVII. *Amat civem*, socium ejusdem civitatis. Vivit igitur cum illo juxta leges societatis, officia, quæ petit, exhibet erga illum promtè, beneficiis quoque ipsum sibi devincit, maximè tenuiorem. Vult, contendit, ut civitas in pace sit.

XXVIII. *Amat socium ejusdem fidei & professionis.* Cum hoc membrum est ejusdem corporis mystici, σύσσωμος: Concivis politiæ Cœlestis. Eundem cum eo habet patrem spiritualem, fratrem primogenitum; Spiritum Ducem & Comitem per viam veritatis, eandem cordis fidem, eandem hæreditatis spem. Hinc nunc intimior, fami-

amiliarior , fervidior amor erga hunc demonstratur. Id quod intelligendum est non de socio externæ Professionis sed fidei, quæ in corde conjuncta cum professione oris. Experientia probat amorem sociorum fidei tenacissimum esse, nec vel vi vel dolo extingui posse. Qui verò communiter inter socios ejusdem externæ Religionis, ille valdè languidus ac frigidus est.

XXIX. *Amat patronos, parentes veluti Magistratus, ac Pastores.* Redamandi sunt, qui nos amant: Beneficia, quæ ex amore profluunt in beneficiariis meritò amorem accendunt. Et quò majora beneficia, tantò major amor. Patrono spirituali plus debeo quam corporali.

XXX. *Amat eos, quibus beneficia dat,* liberos, subditos, auditores. Beneficia non dat qui non ex amore dat. Sunt dein hi speciali curæ commissi & certa ratione pars amantis Nemo verò carnem suam odio habet, sed fovet & nutrit eam.

XXXI. *Ex dictis duo speciatim fluunt: Primum, quod omnis homo diligendus sit: adeoque etiam hostis,* Turca, Judæus, Ethnicus: Nam omnis homo creatura DEI & consanguineus noster. Hostis, Turca, Judæus, Ethnicus miser est, adeoque diligendus. Pro illo ex

corde commiſerante apud DEUM intercedendum eſt, ut ex miſeria ſua eripiatur. Id quod quoque ſcriptura utriusque Teſtamenti præcipit. Lev. XIX. 18. *Diliges* לרעך, *proximum tuum* qui tecum in terris paſcitur; Quam Legem Chriſtus repetit ſimilemque appellat legi de DEO amando Matth. XXII. 39. *Si oſor tuus eſurit, ciba eum pane, ſi ſitit, pota eum* Prov. XXV. 21. Quam legem Paulus quoque Chriſtianis inculcat Rom. XII. 20. conf. Exod. XXIII. 4. Ipſe Chriſtus clariſſimè Matth. V. 44. *Diligite hoſtes veſtros, benedicite illis, qui vos execrantur, benefacite iis, qui vos odio proſequuntur, & intercedite pro illis, qui vos infeſtant & perſequuntur.* Et legis peritum rogantem, quis proximus diligendus ſit, informat, quod Samaritanus, Judæis exoſus, ſectarius, amore noſtro dignus ſit Luc. X. 25-38.

XXXII. *Alterum, quod amor, quem proximo debeo, pro ejus ſtatu variet.* Non eundem amorem debeo hoſti & amico, ſocio fidei & infideli &c. variat pro vario ſtatu proximi: Id vult ſcriptura, quæ diſtinguit inter φιλαδελφίαν & ἀγάπην, *fraternum & communem amorem.* 2. Petr. I. 7. omnibus benefaciendum, maximè ſociis fidei Gal. VI. 10. Idem vult ratio: Nam in quo major amoris

ris ratio, ille etiam magis amandus est. Jam verò ratio amoris valdè variat. Hic amandus est, quia homo. Alter quia insuper civis. Tertius quia præterea parens. Hic amandus, quia mecum habet eundem Creatorem, conservatorem, gubernatorem: Alter, quia præterea mecum habet eundem Redemtorem, sanctificatorem &c. Hic amandus, quia mecum pascitur, alter quia DEO sic ordinante me pascit. Omnibus debeo amorem benevolentiæ, non omnibus amicitiæ. Omnibus miseris amorem misericordiæ debeo: Quando verò non omnibus simul benefacere queo, benefacio ei qui beneficiis meis maximè indiget.

XXXIII. *Diversum amorem testaturus sollicitè sibi cavere debet, ne sub prætextu majoris erga hunc amoris exhibendi alterum odio habeat. Dein ne minorem amoris rationem pro majori reputet.* Quò amatum magis ad DEUM accedit, tantò major amandi ratio ei inest. Quò amatum in periculosiori statu versatur, tantò magis amorem misericordiæ & auxilii nostri poscit.

XXXIV. *Probatus lapis lydius amoris proximi, ad quem noster explorandus, est amor DEI, quo DEUS creaturas suas, JESU Christi, quà fideles, proprius, quo quis se ipsum complectitur,*

 Matth

Matth. V. 44. 45. Eph. V. 2. Matth. XXII. 39. Requiritur ergo sincerus, fervidus, purus, constans & absque intuitu proprii commodi, efficax, universalis, nemine excluso. Talis enim est amor DEI, JESU Christi & proprius. Imò non solùm lapis lydius amoris nostri sed simul exemplum, quod exprimere jubemur, est loc. cit.

XXXV. *Amaturus proximum contendat fontes odii, quos supra deteximus, obthurare. Contendat dein proximum rectè cognoscere. Proximo, maximè regenito, ea insunt, quæ cognita amorem accendunt.* Sunt enim in se pulcherrima atque simul nobis utilia. *Contendat veræ sapientiæ operam navare.* Hæc enim plena amore, misericordiâ & aliis bonis fructibus Jac. III. 17. *Conversetur cum genuinis amatoribus.* Possident enim intra se ignem spiritualem, eumque ore & factis exerunt, atque ita conversantes calefaciunt, inflammant. Observant *se invicem ad provocationem amoris & bonorum operum.* Hebr. X. 24.

XXXVI. *Perpendat quoque sequentia motiva: DEUS non solum amorem proximi nobis inculcavit, uti alia multa, sed super alia.* 1. Cor. XIV. 1. *persequimini amorem* ceu viam illam excellentissimam 1. Cor. XII. 31. dum verò persecutionem mandat, Apostolus docet & præ-

præcepti præstantiam & difficultatem. Valdè etiam proni ad iram, odium. Indefessum hinc studium amoris requiritur. Maximum de DEO amando præceptum est. Huic verò simile alterum de proximo amando, Matth. XXII. 39.

XXXVII. *Dein qui proximum verè amat, ille alia quoque officia proximo debita præstabit.* Justitiam, veritatem, pacem cum eo colet. Amor quippe proximi est anima & summa omnium officiorum. Rom. XIII. 9. *Ab amore proximi dependet Lex & Prophetæ.* Qui proximum amat, DEUM amat. DEUM enim amat in proximo.

XXXVIII. *Amor proximi non solùm amato gratus & utilis sed etiam amanti.* Si is, quem amamus, nos læsit, amantes ei culpam condonamus. 1. Petr. IV. 8. pro illo intercedimus apud DEUM, animum reconciliatum ei promittimus. Si auxilio nostro indiget, ei auxiliamur. Si lætatur, collætamur. Qui amantis actus amato non possunt non dulces & utiles esse, sed sunt simul amanti. DEUS ipsi affectui amoris dulcedinem, suavitatem indidit, quod amantes in se experiuntur. Amatum redamat atque ita vicissim præstat, quod amator prius præstitit. Ne nunc dicam de amantium cœlesti fructu.

XXXIX. *Præ-*

XXXIX. *Prait DEUS, ſpeciatim JESUS Chriſtus.* Agentes attendimus ad Exempla eaque conſpicua, nobilia. Amantibus præeunt exempla divina. Quantus amor DEI erga creaturas? Amore impellente eas condidit, conſervat, gubernat. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos & pluviam demittit ſuper juſtos & injuſtos.* Quantus amor erga peccatores, pro quibus proprium filium legi & morti ſubjecit? Quantus amor JESU Chriſti? Gloriam, quam apud Patrem ab æterno habuit, ad tempus occultavit, caro factus eſt, in carne contemnebatur, illudebatur, cruciabatur, trucidabatur: atque hæc omnia ſuſtinuit non propter amicos ſed hoſtes ſuos, amore miſericordiæ eum impellente. Hæc verò exempla ad imitandum nobis propoſita ſunt Eph. V. 2. Matth. V. 46. Annon eos amemus, quos DEUS amat? Tantò magis, quod ſint conſanguinei noſtri. Omnes putant conſanguineorum officium eſſe ſe mutuò amare. Sunt quoque variè nobis utiles. Sunt membra ejusdem ſocietatis, naturalis vel etiam ſacræ. Membrum membro indiget. Fit quidem ſæpius, ut exiſtimemus nos aliis non indigere: At alio tempore experientia nos docet, utiliſſimos illos nobis eſſe, quos puta-

putabamus, nullum unquam nobis usum præstituros esse.

CAPUT XIV.

DE

Misericordia & liberalitate erga pauperes.

Σύνοψις.

Nexus hujus capitis cum antecedente. §. *I.*

Misericordiæ & liberalitatis erga pauperes tractandæ ratio. §. *II.*

Vitia opposita sunt:

I. *Eorum qui Eleemosynas quidem dant, sed non rectè.* §. *III.*

Uti (a) *absque animo.* §. *IV.*

(b) *Vel cum animo malo.* §. *V.*

(c) *Vel verbis durioribus.* §. *VI.*

(d) *Parcè.* §. *VII.*

(e) *Ex bonis rejectaneis.* §. *VIII.*

(f) *Cum illegitimo discrimine.* §. *IX.*

(g) *Post mortem tantùm.* §. *X.*

II. *Eorum, qui nihil dant.* §. *XI.*

III. *Eorum, qui noxam bonis pauperum inferunt.* §. *XII.*

Ad vitia hæc pertinent illa, quæ pauperum nullam spiritualem curam habent. §. *XIII.*

Notantur quoque horum vitiorũ gradus. §. *XIV.*

Fontes

§. I. *Amo-*

§. I.

Amori proximi jungimus liberalitatem erga pauperes; ceu quæ ab amore proximi non aliter differt, quàm species à genere.

II. Speciatim verò tractamus, quia frigido & superbo hoc sæculo magna pauperum rectè amandorum oblivio grassatur: Quia si quod officium sæpius & fortiter inculcat DEUS, inculcat curam pauperum: Quia denique præcipuè Eleemosynæ datæ aut non datæ in judicio ultimo habebitur ratio.

III. *Tripliciter peccatur adversus amorem & curam pauperum. Primò peccant illi, qui pauperibus Eleemosynas erogant. Sed non rectè.*

IV. *Quod fit* (a) *quando Eleemosyna datur absque animo, fide, propensione, amore:* Si adeoque pauper non consideratur ut creatura DEI auxilio nostro digna: Si erogatio stipis non habetur à DEO præcepta: Si nullus benevolus affectus in animo dantis erga pauperem est.

V. (b) *Si stips datur cum animo malo.* Dant verò ita illi, qui propriam gloriam quærunt: qui animo coacto, adverso, obolum pauperi projiciunt.

VI. (c) *Si Eleemosyna datur verbis asperis, objurgantibus, contemnentibus solicitantem.*

VII. (d) *Si datur parcè* non ex defectu opum sed ex avaritia.

VIII. (e) *Si Eleemosyna datur ex bonis vilibus, rejectaneis*, cibo veluti & potu, qui aliàs perit aut in porcorum alveum effunditur. Eleemosyna oblatio est, quæ Christo in paupere datur. An verò rejectanea oblatio Christo danda est? Malach. I. 8.

IX. (f) *Si illegitimum discrimen inter pauperes, eorumque curam habetur*. Tale est, quando certis pauperibus veluti consanguineis, civibus, sociis ejusdem Religiosæ Professionis datur, non verò peregrinis, alias religiones profitentibus, similibusque. Eleemosyna hac ratione privilegium civile, provinciale, consanguinitatis est.

X. (g) *Si pecunia inter pauperes proprietario vivente distribuenda per testamentum legatur*. Quando Testamentarius, dum in vivis, bona sua non dispersit, Testamentum tale pro Eleemosyna Christiana haberi nequit. Si enim animum misericordem habuisset, Eleemosynam non distulisset post mortem. Vana plura ejusmodi dispositionibus sæpius inesse solent.

XI. *Peccant secundò, qui in usum & solatium pauperum nihil erogant*. Uti sunt avari, qui opes omni modo corradunt, asservant, unicè in proprium usum convertunt: qui proximum pauperem secum vinculo quodam conjunctum esse negant, hinc urgent unum-

unumquemque sui rationem habere, non alterius.

XII. *Peccant tertiò illi, qui non solum immisericordes sunt erga pauperes, sed insuper fures eorum.* Tales sunt (*a*) qui variè impediunt misericordes, ne viscera sua aperiant & aperta effundant. Invidè enim fingunt malum adversus indigos, quod beneficentiâ indigni sint. Absterrent propensos ad dandum vel omnino eorum manibus opum administrationem extorquent, prætexentes, quod bona dilapident, liberos infelices reddant. Tales dein (*b*) qui bona pauperum sibi concredita in proprium usum convertunt, distribuunt illis, qui partem Eleemosynæ reddunt, aut laborem mercede dignum subeunt, qui bona Ecclesiastica mutant, mutilant, rapiunt.

XIII. *Allata vitia spectant curam pauperum corporalem: sunt alia non minus recepta & pejora, quæ curam pauperum spiritualem concernunt.* Hinc vulgò mendici non solum corpore sed & animâ, imo hac maximè miseri sunt. Discursitantes, vociferantes tantum accipiunt, quantum stomacho latranti sedando sat, sed nemo pro anima eorum curat. Nec curant aut curare possunt ipsi. In ignorantia, impietate, rapacitate edu-

cantur, vivunt, moriuntur. Sumtus, labores, molestiæ non impenduntur, ut ex longe infelicissimo hoc statu eripiantur.

XIV. *Immisericordiam gradu differre ex dictis jam constat.* Vitium est parcè dare: majus nihil: maximum alios in dando impedire: Longè maximum bona pauperibus sacra surripere. Vitium est sine illuminato, fido, misericorde corde stipem erogare; Gravius, animo & verbis exprobrantibus; Gravissimum nihil dare & tamen mendicantes dicteriis proscindere, fugare. Vitium est paucis dare: Majus nemini.

XV. *Infructuosa hæc tenebrarum opera proveniunt ex ignorantia.* Quis pauper sit ignoratur. Si enim haberetur Creatura, filius DEI, frater imò Christus, certè ita non contemneretur, desereretur. Cura pauperum spiritualis prorsus ignoratur. *Ex infidelitate*, nam præceptis, promissis & interminationibus non habetur fides. Pecunia nervus vitæ & felicitatis agnoscitur. *Ex avaritia.* Immensa est auri cupido. Semper *plus ultra*: Ex adverso tristitia, dolor, morsus animi oritur, si particula mammonæ resecanda, distribuenda est. *Ex luxu cibario, vestiario, supellecticario.* Ingentes sumtus pro vario, copioso, delicato, molli cibo potu, superbo vestitu, domicilio impendun

tur.

tur. Luxus omnia devorat. Nihil superest, quod in usum indigorum distribuatur. *Ex raritate verè liberalium*; qui se invicem provocant ad opera charitatis, perrari sunt. Immisericordium, propriam utilitatem quærentium maximus numerus est. *Ex præjudicio.* Suspecta quibusdam est largior opum inter pauperes distributio. Sapit novam sectam. Ethnica vel pejor traducitur actio: Nam Ethnici liberis thesauros colligunt, hi non item: Dicuntur ergo Ethnicis pejores. Ex adverso avaritia, studium ditescendi, laudabilis parsimonia, character boni Patris familiâs habetur. Eodem tendunt communia Pseudopolitica axiomata. Ein jeder müsse vor sich und die Seinige sorgen: Ein jedes Land / Stadt / Dorff müsse seine Bettler erhalten. quæ quidem dicta commodè explicari possunt, sed uti hic accipimus, sinistrum habent sensum, excluduntque Christianis mandatam omnium pauperum curam. Gal. VI. 10. *Ex incuria & oscitantia statuum superiorum, Politici & Ecclesiastici.* Quanquam enim privati statum pauperum reformare vellent, non valent. Publica & communis opera poscitur tanto malo minuendo aut tollendo sufficiens. Quando verò Magistratus totus in eo est, ut quæsturæ in bono statu sint, earum bona indies augeantur,

census ac tot alia onera, non solùm à divitibus subditis sed & pauperibus forti manu extorqueantur, Xenodochiorum verò, Ptochotrophiorum, Orphanotrophiorum, Nosocomiorum, Ærariorum Ecclesiasticorum nulla aut superficiaria ratio habetur. Quando non solùm nullæ novæ in pauperum usum ædes, æraria, præfecturæ struuntur, instituuntur, sed à piis olim ordinatæ, neglectæ jacent aut sine pietate administrantur, pauperum res in infelici statu esse, mirum non est. Hac enim ratione pauperes augentur non minuuntur, non curantur. Quando Consistoria, Presbyteria, præfecturæ Eleemosynariæ absque fide, misericordia, re pauperum tractant. Si tantum fidei pro alendis indigis habent, quantum pecunia in Cista Eleemosynaria norunt: Si aucto pauperum numero non majores sumtu faciunt, quam quos annui reditus profe runt: Si præfectos quærunt, constituunt commendatos ab Arithmetica, arte pingen di, rigore exigendi, non verò à Spiritu S & sapientia Actor. VI. 3. Si præfectis op ma salaria, lauta convivia, superbas ædes ipsis verò pauperibus tenues sorbitiones casas sanitati noxias, verbo dicam, omn verè paupertina destinant, dant. Si nova

& oli

& olim Christianis inauditam Eleemosynariam Methodum, qua frigida Christianorum pectora per Provincialem aut Nationalem lusum ad misericordiam (ô misericors misericordia!) accendere student, profitentur.

XVI. *Immisericordia, crudelitas sunt vitia turpissima. Immisericordibus enim & crudelibus humana natura deest.* Est verò fera, leonina. Quid turpius, quam esurienti, nudo, lacero non solùm nihil dare, sed miseriâ onustum conviciis onustiorem reddere? Miserum auxilii quærendi gratiâ confugientem magis miserum facere? *Immisericordes & avari quoque stulti sunt.* Similes sunt rusticis, qui metu frumenti amittendi illud terræ committere nolunt, asservantes in horreis, ubi illud mures devorant, in insecta commutatur, atque post aliquod tempus sine spe fructûs consumitur. *Sunt quoque impudentes,* qui DEO & Christo sacrificant, quod ipsi fastidiunt. *Sacrilegi,* qui in proprium usum convertunt, quod DEO datum est. *Antichristiani,* qui, quod Christus præcipit, gratum habet, quod Spiritus Christi in primis Christianis produxit, quodque ipsi alioquin magni facientes videri volunt, impediunt, convitiantur, quod faciunt,

qui largam opum inter pauperes dispersionem suspectam habent, reddunt, dispergentibus graves existunt. *Novi misericordiæ Patroni*, qui per lusum viscera obdurata aperire contendunt.

XVII. *Hæc de immisericordiâ & illiberalitate erga pauperes: Sequentia de misericordia & liberalitate, quæ Christiani hominis officium est, cujus vi bona sua inter pauperes animo misericordi propter DEUM dispergit.*

XVIII. *Officium hoc præstiturus maximè de genuina cordis dispositione solicitus esse debet.* Nam, quod ex dictis jam constare potest, beneficium Eleemosynam non facit, sed animus. *Si in cibum dedero omnia bona mea, nec charitatem*, quæ cordis affectus est, *habeo, nihil commodi habeo.* 1. Cor. XIII. 3. Quin potius fieri potest, atque etiam subinde fit, ut, qui multum dat, non vero genuinum Eleemosynam dandi animum habet, ille tamen Eleemosynam non dat: dat verò, qui nihil dat, si modò verum dandi animum habet.

XIX. *Animus rectè dispositus sic se habet. Primò* pauperem reputat pro creatura DEI, pro consanguineo, fratre: *Tum* agnoscit velle Creatorem, ut creaturæ suæ in his terris sustententur, edant, bibant, vestiantur,

tur, habitent: velle quoque, ut inter consanguineos, fratres, amor, mutuum auxilium sit, dives pauperi succurrat. *Insuper* fidem habet verbo divino, intus & extus pauperum curam præcipienti. Hinc missis ac superatis obstaculis, quæ caro & mundus obmovent, beneficentiam erga indigos exerit. Et quidem animo misericordi, condolente ob penuriam rerum necessariarum, quâ proximus laborat, unde beneficium pauperibus datum rectè olim Ἐλεημοσύνη *Eleemosyna* à *commiseratione* dicebatur.

XX. *Animo rectè disposito pauper juvabitur.* Uti sole existente splendor oritur, sic ex animo rectè disposito beneficium pro paupere fluit. Quo major cognitio, fides, commiseratio, tanto major Eleemosyna. Si quis animum ad dandum benè dispositum prætexit, nec dat, ubi dare valet, ille mendax est.

XXI. *Juvabitur autem pauper pro statu suo indigo.* Pauper animâ juvatur, institutione, correctione, hortatione, consilio, solatio. Pauper corpore juvatur beneficiis corporalibus, esuriens cibo, sitiens potu, nudus vestitu, ægrotus visitatione, peregrinus domicilio, captivus redemtione, mortuus sepulturâ. Quas liberalitatis species sequenti

carmine veteres incluserunt: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* Rectè enim & prudenter datur illud bonum, quod alteri deest, non quod ipse habet aut quod ipsi noxium. Peccatori irresipiscenti, qui animâ pauper est, rectè datur correctio, non verò solatium aut spes vitæ æternæ. Esurienti non prodest potus sed cibus.

XXII. *Ut & pro statu misericordis.* Quod quis non habet, non potest dare; Hinc à tali beneficium externum non poscitur, 2. Cor. VIII. 12. Internum, precatorium, intercessorium jam sufficit. Nec tenetur ita de suo dare, ut ipse indigeat, alter abundet, sed ut copia sua alterius penuriæ succurrat 2. Cor. VIII. 13. Cui itaque præ aliis DEUS bona terrestria concredidit, ille præ aliis benefacere debet. Est enim Oeconomus DEI. 1. Petr. IV. 9. 10.

XXIII. *Juvandus est omnis pauper.* Quia enim pauper est sive caret bono necessario, illud ipsi dandum ab eo, qui possidet. *Omni abs te petenti da* Luc. V. 30. Ergo dandum est osori. Matth. V. 44. hosti, Rom. XII. 20. Maledico Matth. V. 44. aliam Religionem profitenti, auxilio nostro egenti. Luc. X. 25 - 38.

XXIV. *Quanquam cum discrimine: Operemur bonum*

bonum erga omnes, μάλιςα *maximè erga domesticos in fide.* Gal. VI. 10. Fundamentum discriminis duplex est, miseria & cognatio. Qui majori miseria premitur, ille præferendus ei, qui minori laborat. Tum quo cognatio arctior, eo major obligatio ad succurrendum misero. Cognationes autem sunt plurimæ: arctior non est quam fidei, quatenus cordis actus est, non quatenus pro externa Religionis professione sumitur.

XXV. *Pauper juvandus est propter DEUM.* Fortiter petunt mendici mendicantes, um GOttes willen/ modò vim verborum intelligerent, qui ea proferunt, quique ea audiunt. Qui verò pauperem juvat propter DEUM, ille agnoscit officium suum esse. Ille obedientiam exhibet DEO mandanti. Ille gloriam DEI quærit.

XXVI. *Liberalitatis erga pauperes diversi gradus notari possunt:* Natabiliores sunt: dare Eleemosynam animo ad dandum convicto: dare dein animo misericordi, lubenti, hilari: dare porrò largiter: dare semper, quando occasio dandi se offert, maximè tempore pauperi commodo: Dare stipem omnibus petentibus, etiam hostibus: Prævenire Eleemosynâ petitum pauperis: dare in oculto: Ultimò dare cum testimo-

nio honoris erga pauperem tum verbis tum beneficio, tum aliis circumstantiis.

XXVII. *Media, quorum usu cura pauperum haberi, promoveri potest, sunt privata & publica. Privata:* 1. Talem se proximo præbere, qualem quis sibi proximum optat, si in eodem esset statu, quo ille. 2. Oculum, aures non avertere à paupertate, miseria, fame, nuditate proximi. Paupertas enim & penuria oculis visa & audita solet videntis & audientis viscera aperire. 3. Vitas Christianorum à liberalitate erga pauperes commendatas legere, oculis obire, cum talibus conversari. Flamma enim solet lignum, etiam viridius, accendere. 4. Parcè vivere, abstinere à pretioso vivendi genere. Hoc enim ingentes sumtus, qui ad opem ferendum indigis impendi potuissent, inutiliter & peccaminosè consumit.

XXVIII. *Publica: Magistratus est* mendicabula, homines fortes, turpi otio deditos ad graviores labores damnare: Cives verò attenuatos, opibus exhaustos fovere, juvare, ut habeant, unde vivant. Magistratus tenuibus subditis esse debent, quod Medici ægrotis. *Consistoriorum, presbyteriorum, præfecturarum Eleemosynariarum est* curatam pauperum notitiam tenere: Diaconos Spiritu S. & sapien-

sapientiâ plenos pauperibus præficere: Aliis liberali stipe præire: Indigos fido Curatori committere, nec suspendere pauperum sustentationem ab ærariis, ærariorumque annuis fructibus: Commendare eos cum auctoritate divitibus hujus seculi. 1. Tim. VI. 17. Jungere curam pauperum spiritualem & corporalem: Maximè sibi cavere à minima surreptione bonorum sacrorum aut commutatione in proprium usum. *Statui domestico* incumbit, conspirare cum Magistratibus & præfecturis Ecclesiasticis, liberali beneficiorum erogatione curas superiorum facilitare, promovere. Insignem operam præstare queunt artifices, textores, magnarii, si merces, quas conficiendas habent, pauperibus committunt & quidem unicuique pro ætate, robore, idoneitate.

XXIX. *Gravissima sunt huic officio motiva.* Nam. 1. DEUS multoties sub utroque Testamento pauperum curam mandat. Veluti per Mosen, *Ego præcipio dicens, aperiendo aperies manum tuum, erga fratrem tuum afflictum tuum & indigum tuum, qui in terra tua est.* Deut. XV. 2. Esaiam. *Divide esurienti cibum tuum, pauperes, qui cum adversitatibus luctantur duc in domum: Si vides nudum, vesti illum & à carne tua te non subduc.* LVIII. 7. JESUM. *Omni abs te petenti da.* Luc. VI. 30.

Paulum,

Paulum. *Necessitatibus sanctorum communicate: Hospitalitatem sectamini.* Rom. XII. 13. *Divitibus in hoc seculo pracipe, ut non sapiant alta, neque sperent super divitiis incertis, sed super DEO vivente, qui prabet nobis opulenter omnia ad fruitionem: Ut* (potius) *benefaciant, ditescant in bonis operibus, faciles ad erogandum, libenter communicantes.* 1. Tim. VI. 17. 18. Petrum. *Ita hospitales estote inter vos sine murmurationibus. Quilibet, sicut accepit, donum erga vos invicem illud administrantes, ut boni administratores multivaria gratia DEI.* 1. Petr. IV. 9. 10. Johannem. *Qui habuerit opes mundi & videt fratrem suum opus habentem* (iis) *sed claudit viscera sua ab eo, quomodo dilectio DEI manet in illo? Filioli mei, ne diligamus verbo aut linguâ sed opere & veritate.* Jacobum: *Si frater aut soror nudi fuerint & destituti quotidiano victu: dixerit verò quis illis ex vobis: Abite in pace, calescite & saturamini, non dederitis autem iis necessaria corporis, quanam utilitas?* cap. II. 15. 16.

XXX. II. *In Elemosynis DEUS oblectamentum suum quarit.* Hebr. XIII. 16. *Beneficentia & communicationis ne obliviscimini. Talibus enim sacrificiis DEUS delectatur.* Quàm æquum verò, ut oblectamentum DEO excitemus, qui tot oblectamenta in nos confert.

XXXI.

xxxi. III. *Poscit unio, quæ inter nos & pauperes intercedit.* Omnes enim homines sunt consanguinei, fratres, concives. Omnibus idem Creator: iidem progenitores: Idem domicilium: Idem pascuum. Plures sunt arctiori vinculo nobis conjuncti: Vinculo Religionis, fidei Spiritûs S. Quid nunc æqnius, justius, magis necessarium, quam ut consanguineus, frater, concivis, consanguineo, fratri, civi opem ferat? Quid dicet communis nobis omnibus creator, si creatura excluditur à fruitione boni, quod commune dedit? Quæ communio Religionis, si esurienti nequidem panis porrigitur?

xxxii. IV. *Damnum varium: Nam avari & immisericordes damnum causantur societati civili, sacræ, sibi. Illi:* Nullum ab his Respublica usum habet. Quæ agunt, agunt propter proprium lucrum cum præsenti damno conciviū, cives pauperes faciunt, non sublevant. Tum maximè, quando personam publicam in societate præse ferunt. Zeph. III. 3. *Isti:* Negant, tollunt, quæ esse deberet inter Christianos, unionem & comunionem, enervant, adeoq; regulas societatis: Alios facilè in partes suas trahunt & loco charitatis, quæ sua communicat, avaritiam, cupiditatem rerum mundanarum in cœtu Christiano plantant. *Sibi:*

Immi-

Immisericordes & avari vitam turbidam non possunt non ducere *Turbat domum suam, qui lucro inhiat.* Prov. XV. 27. Concitant adversus se iram Dei, qui pauperum Deus, custos & vindex est. Exod. XXII. 27. Hinc nullam mansuram benedictionem, nequidem in bonis terrestribus, sibi promittere possunt. Nam & hæc benedictio ex cœlo venit.

XXXIII. V. *Emolumentum publicum & privatum. Publicum.* Misericordes & liberales bona sua lubenter aliis communicant, iis speciatim, qui miseriâ premuntur. Adeoque miseri, qui in societate vivunt, horum beneficentiâ recreantur. Quæ iis committuntur officia publica, administrantur sine intuitu proprii lucri. *Privatum:* Beneficentia conjunctissimum comitem habet tranquillitatem, suavitatem cordis. Conciliat sibi favorem eorum, quibus benefacit. Maximè conciliat sibi gratiam Numinis, cujus voluntati satisfacere studet. Cumulatim emolumentum expressit Esaias commendaturus beneficentiam. Cap. LVIII. 8 - fin.

XXXIV. VI. *Judicium ultimum.* Quanquam homo de omnibus actionibus suis judicandus erit, maximè tamen de misericordia & immisericordia, quod docet Salvator morti

pro-

propinquus Matth. XXV. 34-f. Ubi non alia vitæ æternæ adeundæ ratio citatur, quam misericordia actualis: Nec alia ratio mortis æternæ subeundæ, quam immisericordia. Quare? Procul dubio ut nos gravissimè ad opera misericordiæ stimularet retraheretque ab operibus immisericordiæ. Tum quoque, quia in operibus misericordiæ concentrantur omnes aliæ virtutes Christianæ; sed vitia in immisericordia.

XXXV. VII. *Similitudo cum DEO.* Beneficus, liberalis, misericors naturæ divinæ particeps, filius DEI est Matth. V. 45. Sed immisericors, illiberalis communem cum bestiis, leonibus, ursis, canibus &c. imò cum Diabolo naturam habet.

XXXVI. VIII. *Consensus Gentium.* Tanta huic officio vis & claritas est, ut nulla Gens, ne quidem barbara, exstiterit, quæ liberalitatem in pauperes non æstimaverit, commendaverit tanquam opus Diis gratum. Si plura hoc de argumento nosse cupis, adi tractatum nostrum Germanicum Christliche Barmhertzigkeit.

)o(

CAPUT

CAPUT XV.

DE
Cognitione ſui ipſius.

Σύνοψις.

Officia erga DEUM & proximum conjunctiſſima ſunt cum officiis erga ſe ipſum. §. *I. II.*

Ex his primum cognitio ſui ipſius. §. *III. IV.*

Negligunt hoc officium.

I. *Qui nullam Phyſicam.* §. *V. VI.*

II. *Pneumaticam.* §. *VII.*

III. *Moralem aut ſaltem nimis ſuperficiariam ſui notitiam tenent.* §. *VIII.*

Tales feruntur ſine impedimento in ſcelera. §. *IX.*

Veluti (a) *proprium Dominium.* §. *X.*

(b) *Superbiam.* §. *XI.*

(c) *Cupiditatem carnis.* §. *XII.*

(d) *Turpe otium.* §. *XIII.*

(e) *Impatientiam.* §. *XIV.*

Memorata vitia turpia ſunt. §. *XV.*

Proveniuntque á prava educatione & inſtitutione, mole negotiorum, Philoſophia Scholaſtica, curioſa & metu propriæ turpitudinis cognoſcendæ. §. *XVI.*

Tum definitur vera ſui cognitio. §. *XVII.*

Cujus requiſita ſunt:

(א.) *Homo noſſe debet ſe nihil eſſe.* §. *XVIII.*

(ב.) *Se ortum ſuum & conſervationem DEO debere.* §. *XIX.*

(ג) *Noſſe debet partes, ex quibus conſtat, corpus & animam.* §. *XX.*

(ד.) *Cor-*

(ד.) Corruptionem ſuam. §. *XXI.*
(ה.) Rectum uſum corporis & animæ. §. *XXII.*
Unde ſequitur cognitionem ſui fundamentum eſſe officiorum, quæ quis ſibi debet. §. *XXIII.*
Ceu abnegationis ſui. §. *XXIV.*
Humilitatis. §. *XXV.*
Temperantiæ. §. *XXVI.*
Vigilantiæ. §. *XXVII.*
Patientiæ. §. *XXVIII.*
Hujus officii gradus notantur. §. *XXIX.*
Quo majores, eo magis ducunt ad officia Chriſtiana. §. *XXX.*

Media ſunt.
I. *Ad ſe probè attendere,* II. *Vera Philoſophiæ & Scripturæ ſtudere.* III. *cum Philoſophis & Theologis Chriſtianis converſari.* §. *XXXI.*
Adduntur motiva, quorum primum deſumtum ab æquitate. §. *XXXII.*
Alterum ab uſu ad cognitionem rerum corporearum, ſpiritualium, §. *XXXIII.*
Et moralium. §. *XXXIV.*
Tertium quia facilem reddit explorationem adeo neceſſariam. §. *XXXIV.*



§. I.

D*iximus hactenus de officiis erga DEUM & proximum: Dicendum nunc de officiis erga ſe ipſum.*

II. *Officia erga DEUM & proximum conjunctiſſima ſunt cum officiis erga ſe ipſum.* Nemo officia erga ſe præſtabit, qui negligit officia erga DEUM & proximum. Nec

quispiam officia erga DEUM & proximum observabit transgrediens ea, quæ sibi debet. At ex adverso omnis qui officia erga DEUM & proximum explet, explet quoque, quæ sibi debet.

III. *Dicuntur officia erga se ipsum*, quia specialiori ratione hominem ipsum spectant. Uti cognitio sui, temperantia &c. quum contrà alia officia pro objecto habeant DEUM vel proximum.

IV. *Ex his primum constituimus cognitionem sui ipsius.* Quemadmodum supra tractantes officia erga DEUM & proximum primum locum dedimus cognitioni DEI & proximi. Sic hìc tractantes officia erga se ipsum incipimus à Cognitione sui ipsius. Hunc ordinem poscunt eædem rationes, quàs supra memoravimus.

V. *Quoniam* Inspectioni sui ipsius *totum libellum dedimus, hìc breviores erimus, generalem tantum tractationem tradituri ac viam paraturi ad reliqua officia.*

VI. *Negligunt, violant cognitionem sui ipsius.* I. *Qui nullam aut saltem nimis superficiariam physicam sui notitiam tenent.* Homines certè bestiis non absimiles, qui artificiosissimum & omni admiratione dignissimum corpus habent, id verò ignorant. Hinc non admirantur.

rantur. Non propterea quærunt, laudant, honorant sapientissimum Creatorem. Quot verò sunt, qui rogati de corpore nihil respondere queunt, vel etiam admirantur talem quæstionem ceu incongruam?

VII. II. *Qui nullam aut saltem nimis superficiariam pneumaticam sui notitiam habent.* Si qui adhuc attendunt ad corpus suum, ceu quod oculis obire, manibus palpare solent, debent, atque ideo summum artificium creatoris laudant, longè pauciores ad animam attendunt. Anima enim oculis cerni aut aliô externo sensu percipi nequit. Jam verò vulgò nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu; Unde profundâ animarum ignorantia laborant. An animam habeant. Quid anima sit. Quæ ejus operationes. Quomodo afficiatur à corpore aliisque rebus externis. Quomodo corpus aliasque res externas regat. Hæc, dico, & similia ignorant.

VIII. III. *Qui moralem sui notitiam non habent saltem non sufficientem & vivam.* Qui ignorant corruptionem suam tum originalem tum variè acquisitam: Vitia intellectûs, voluntatis, affectuum, imaginationis, memoriæ, corporis, sensuum, membrorum eorumque irritamenta, causas. Quia verò

hæc ignorant, vitiis cooperti vivunt. Peccantes nesciunt se peccare. Ab incitamentis sibi cavere nequeunt. Qui dein ignorant usum corporis & animæ. Quem in finem Creator facultates percipiendi, judicandi, volendi, imaginandi, memoriâ tenendi, videndi, audiendi, odorandi, gustandi, palpandi, loquendi, laborandi, eundi &c. dederit, conservetque. Quando verò rectum usum corporis & animæ ignorant, quomodo corpore & animâ rectè uti queunt? Aut si se ipsos moraliter norunt, notitia hæc mortua est.

IX. *Homo verò, qui se ipsum non novit, propendet, fertur sine impedimento in scelera quævis.* Speciatim illa, quæ officiis sibi debitis opposita sunt. Talia sunt:

X. A. *Propria voluntas & Dominium.* Quoniam non novit se creaturam Dei esse, atque adeo creatore suo in omnibus dependere, sibi ipsi Dominus est, vult, quod sibi placet, imperat quoque ut, quæ vult, fiant.

XI. B. *Superbia.* Non novit se cinerem & pulverem esse. Quæ habet, sibi tribuit, & tribuit ultra, quàm possidet: Hinc surgit fastus.

XII. C. *Cupiditas carnis, oculorum.* Voluptuosa, pretiosa sibi placent: Non novit hæc & similia sibi perniciosa esse.

XIII. D. *Turpe otium.* Homo factus est ad laborem, quod vel constitutio corporis humani docet. Quando verò homo se non novit, turpi otio vacat.

XIV. E. *Impatientia.* Si infortunium, morbus, injuria aut tale quid obvenit, homo impatiens est. Nescit se creaturam Creatori & Gubernatori rerum omnium subjectam esse debere.

XV. *Turpe verò est homini se ipsum ignorare.* Certè stultum videtur ea, quæ extra se, inquirere, magna curiositate, magnis quoque sumtibus investigare urbes, naves, pompas &c. & tamen se ipsum, quæ intra se, ignorare, animum à sui inspectione alienum tenere. Et id tantò magis, quia sui ignorantia exitialis est. Si quis omnia alia, etiam leges divinas nosset, ignoraret verò se ipsum, ille infelix est, atque stolidè eruditus; Si enim se non novit, nec novit corruptionem suam, per consequens ab illa non resipiscere valet. Irresipiscens verò cum DEO conjungi nequit: Quum contrà homo, qui seipsum rectè novit, quanquam pleraque alia nesciat, ille sapienter doctus est. Insuper bestiæ similis homo sui ipsius ignarus. Uti enim bestia corpus habet artificiosum, oculos, aures &c. sed ignorat. Sic homo.

Imo homo bestiâ deterior. Ultimò turpe est se ipsum ignorare, nam talis sordes, quibus conspurcatus est, non novit, hinc non abluit: conspurcatus adeoque in publicum prodit & fastidio est atque abominationi iis, qui maculas spirituales perspiciunt, DEO, angelis, sanctis.

XVI. *Vitia, de quibus hactenus, specialem ortum trahunt ab educatione & institutione.* Quotusquisq; est, qui in juventute in cognitione sui informatur? ut corpus suum consideret, animæ operationes observet: Ut hinc vitia corporis & animæ notet, evitet. Quidam absque omni cultura facultatum mentis pullorum instar crescunt. Alii instituuntur quidem, sed in iis studiorum partibus, quæ de sui cognitione nihil participant. *Mole negotiorum & curiositate rerum alienarum, peregrinarum.* Qui inferioris sortis sunt, illi ea vitæ ætate, qua judicii aliquis usus esse incipit, arti manuariæ traduntur atque omni subsequente ætate ad eam quasi damnati sunt. Alii obruuntur negotiis publicis nec tempus reliquum habent, quod sibi tribuant. Rursum alii toti in eo sunt, ut sciant, quæ alibi gerantur: Novis ingenti cupiditate inhiant suntque insatiabiles. *Philosophia scholastica*, curiosa. Partes Philosophiæ,

ſophiæ, uti phyſica & pneumatica pro objecto quidem habent notitiam corporis & animi humani, ſed ſcopum minimè attingunt, quando loco rei verba obſcura, loco thematum clarorum, utilium obſcura, curioſa, loco experimentorum inexplicabiles rerum modos, loco exactioris applicationis ad mores & laudem divinam vanam gloriam tractant. *Metu propriæ turpitudinis perſpiciendæ & deſerendæ.* Quod de cygnis referunt, hominibus accidit. Nolunt cygni atros pedes intueri. Nolunt homines moralem ſui notitiam habere, quia ſe vitiis totos coopertos reperiunt. At ſtolidè. A ſordibus neque mundus eſt neque efficere poteſt, ut alii eas non intueantur qui ipſe eas inſpicere non vult.

XVII. *Notitia ſui eſt primum & præcipuum officium, quod homo ſibi debet, ut cognita naturâ ſuâ fugiat, evitet id omne, quod perfectioni & felicitati ejus repugnat, agat verò quod illum perfectum & felicem reddit.*

XVIII. *Hæc notitia requirit* (a) *ut homo cognoſcat ſe nihil eſſe.* Neque ſuâ potentia eſſe incepiſſe neque etiam eſſe pergere. Se tamprimum eſſe deſinere, quamprimum Creator influxum virium ſuarum denegat.

XIX. (b) *Ut dein cognoſcat ſe ortum ſuum*

& conservationem DEO debere : DEI adeoq; creaturam esse, per consequens ad nutum DEI ejusque gloriam vivere debere.

xx. (c) *Ut porro cognoscat partes, ex quibus constat, corpus & animam :* Illud artificiosissimè factum ut animæ domicilium sit, Hanc spiritualis naturæ, ut DEUM cognoscat, amet, in corpus imperet, quò etiam illud ea officia agat, ad quæ à Creatore formatum est.

xxi. (d) *Ut insuper corruptionem suam observet.* Quomodo inverso ordine corpus regnet, anima serviat. Quicquid enim appetitus carnis & sensuum, gula, oculi &c. volunt, id quæritur, accipitur, rapitur, quanquam anima damnum patiatur, aggravetur, interlinatur.

xxii. (e) *Ut denique rectum usum corporis & animæ, facultatumque intelligat,* atque constituat, contendatque, ut unumquodque eas operationes agat, ad quas à creatore factum est.

xxiii. *Ex dictis jam patet, quod cognitio sui fundamentum & introductio sit, ad officia Christiana, speciatim illa, quæ sibi ipsi debet.* Fluunt enim hinc

xxiv. A. *Abnegatio sui & propriæ voluntatis.* Nam qui se ipsum cognoscit, cognoscit

se

se creaturam, servum esse: Creatorem verò Dominum, adeoque officium esse Domino obedire, non sibi.

xxv. B. *Humilitas.* Cognoscit enim se nihil esse: Omnia DEO accepta referri debere adeoque humilitati studebit.

xxvi. C. *Temperantia.* Qui seipsum cognoscit, reperiet cupiditatem voluntatem carnis esse, cupiditatem esse insatiabilem, plura mala & sibi, & animæ, & proximo causari; Hinc colliget appetitus temperandos esse.

xxvii. D. *Vigilantia* & *assiduitas.* Cognoscens seipsum observat vires mentis & corporis, membra quoque corporis ad laborandum data, facta esse. Unde vigilare & laborare officium suum esse novit.

xxviii. E. *Patientia.* Homo sui gnarus novit plurima peccata à se patrata esse. Fatetur adeoque se gravissimas pœnas prometitum esse. Patiens igitur est in castigationibus ferendis, tantò magis, quoniam non solùm eas justas invenit, sed simul corpori & animæ salutares.

xxix. *Habet notitia sui gradus.* Quidam generaliorem, hinc obscuriorem, specialiorem alii, hinc clariorem sui notitiam habent. Quidam magis corporis sui, quàm

animæ cognitionem tenent: Alii & corporis & animæ, ceu cujus cognitio difficilior est. Optima est illa sui notitia, quæ physicam & pneumaticam, quam de se habet, cognitionem statim ad gloriam DEI & mores suos reformandos, expoliendos refert. Hinc

XXX. *Quò notitia sui excellentior, eò magis ducit ad officia Christiana præstandum.* Quò enim homo mage scit se nihil esse, se corruptissimum nihil boni cogitare, velle posse, tantò humilior erit: Tantò magis quoque seipsum abnegabit, obediet verò DEO suo. Quare Philosophus fastuosus certissimum de se documentum præbet, quod se non inspexerit.

XXXI. *Se cogniturus primò ad se attendat.* Facillima videtur opera (quam tamen oppido pauci subeunt) seipsum, cogitata, judicia, volitiones, affectus, imagines, discursus, facta, esum, potum &c. observare. Hæc si quis curatè observat, assequetur sui notitiam. Uti enim arboris naturam disco attendens ad succum, florem, folia, fructus, sic quoque meipsum disco observans meos internos & externos corporis & animæ motus, fructus. Maximè si observo causam impellentem & scopum actionum mearum.

Tum

Tum perspectam sibi reddat naturam humanam ex Philosophia Christiana & Scripturâ. Philosophia Christiana proprias observationes juvabit, promovebit. Illa enim colligit, benè disponit, illustrat, probat naturam, facultates, actiones hominis, docetque elucentes hinc perfectiones divinas. Scriptura verò tradit, quales actiones humanæ esse debeant & quænam malæ, voluntati divinæ repugnantes sint. Hujus medii subsidio facilius se novit, dicta confert cum sua natura, actiones malas, quas ex judicio carnis, vel bonas vel indifferentes habuisset, à bonis discernit. *Conversetur cum Philosophis & Theologis Christianis.* Horum discursus, monita, actiones jugem materiam se cognoscendi dabunt.

XXXII. *Cognitione sui ipsius nihil æquius est.* Vel annon æquissimum, ut homo, qui facultatem cognoscendi à DEO accepit, eam exerat circa se? Quodnam objectum propinquius? Nullum quoque tam curatè inspicere potest homo, quàm se. Alia, quæ sensibus externis tantùm percipit, sibi innotescere nequeunt, ut quæ intra se aguntur. Hinc

XXXIII. *Cognitio sui ipsius optimum medium est ad res corporeas & spirituales, has maximè,* cogno

cognoscendum. Est enim homo artificiosissimum opus DEI, Μικροκόσμος, constat ex corpore & animâ, particeps adeoque est duarum Naturarum, quas Creator condidit. Hinc homo, qui se novit, novit summum Numinis artificium: Novit quoque proximi naturam, quæ sibi cum eo communis est. Novit insuper mundum, ceu cujus aliquod compendium ipse est. Novit Spiritus, Angelos, quibus quoad mentem similis existit. Si homo, qui se novit, regenitus est, novit quoque DEUM, nam regenitus naturæ divinæ particeps. Et hæc novit modo reali, solido, interno, qui longissimè superat modum cognoscendi verbalem, superficiarium, externum: Pluribus verbis, definitionibus, periphrasibus non poteris sensus explicare, quorum facultates, operationes, ministeria intelliget is, qui ad se attendit. Maximè id valet ratione animæ hujusque naturæ & actionum. Spiritualia enim communiter verbis à rebus corporeis desumtis exprimuntur, hinc crassum conceptum penes audientes gignunt, nisi hi propria experientia sciant, quod corporale est removere & subintelligere rem Spiritualem, quam alter subintellectam vult.

XXXIV. *Denique Cognitio sui ipsius tum morum naturam in se, tum in specie, quos ipse exprimit, docet.* Quid odium, invidia, ebrietas, amor, patientia &c. sint, nemo rectius, clarius cognoscet, quam qui ad se attendet. Qua occasione in se oriantur: Quomodo crescant & conserventur. Quos effectus relinquant. Hinc quoque statum suum moralem, vitiosum aut Christianum perspicere potest. Adeoque si in illo hæret, argumentum habet, ut quantocyus ex illo emergere contendat. Si in hoc degit 1. materiam lætitiæ tenet, simul cognoscit quos mores indies feliciùs exprimere debeat.

XXXV. *Ultimò ex præcipuis officiis est examen & exploratio sui.* 1. Cor. XI. 28. Hoc verò officium præstari nequit, nisi ab illo, qui se cognoscit. Præstatur autem facilè ab homine sui gnaro.

Alia motiva adduxi Cap. I. *de Inspectione sui ipsius*, quæ ibi reperies.



CAPUT

CAPUT XVI.

De
Abnegatione Sui ipsius.

Σύνοψις.

Ex cognitione sui ipsius sequitur abnegatio suiipsius. §. *I.*

Opponitur propria voluntas & Dominium. §. *II.*

In quo consistat. §. *III. IV.*

Vitium hoc committitur ratione DEI. §. *V. VI.*

Et ratione hominum. §. *VII.*

In rebus communibus & sacris. §. *VIII.*

Gradus notantur. §. *IX.*

Ostenduntur fontes. §. *X. XI.*

Vitii magnitudo argumentis probatur. §. *XII - XVII.*

Subsequitur ipsa suiipsius abnegatio. §. *XVII.*

Eam poscit homo naturâ à DEO aversus. §. *XVIII. XIX.*

Quare se totum abnegare debet. §. *XX.*

Credere verò & obedire debet DEO immediatè & mediatè. §. *XXI.*

Abnegatio requiritur universalis. §. *XXII.*

Omniumque sine exceptione Christianorum est. §. *XXIII.*

Difficultas solvitur. §. *XXIV.*

Media abnegationis sunt vel in proprium usum. §. *XXV. XXVI.*

Vel in usum alienum. §. *XXVII.*

Argumenta commoventia verò sunt. I. *Prima Christianismi regula.* §. *XXVIII.*

II. *Eximius usus.* §. *XXIX.*

III. *Christi Exemplum.* §. *XXX.*

1. *Cogni-*

§. I.

Cognitionem sui ipsius ex se gignere abnegationem sui ipsius, propriæ voluntatis & Dominii, superiori capite indicavimus. Quare nunc hac de abnegatione sui ipsius atque, quod ei opponitur, vitio acturi sumus.

II. *Vitium, quod ei opponitur, est propria voluntas & Dominium.* Non eo sensu, quando quis actionem suscipit, peragit, motus consideratione legis & circumstantiarum; quæ usum adferunt. Neque is vitiosâ propriâ voluntate laborat, qui in rebus gravissimis non simpliciter fidem aliis vel auctoritate eminentibus habet, sed ipse examine coram DEO & verbo ejus instituto judicat, eligit, rejicit.

III. *Vitiosa est illa propria Voluntas, qua quis neglectâ vel etiam violatâ lege ratione superioris vult, eligit, rejicit, agit, quod sibi videtur.*

IV. *Hæc duo ergo faciunt, declarant propriam voluntatem*, de qua hic agimus. I. Justum Dominum ejusque voluntatem sapientem, justam, æquam, utilem nullo loco habere, transgredi, contemnere. II. Actiones suas ex proprio motu determinare, agere, peragere.

V. *Vitium hoc committitur ratione DEI & ratione hominum.*

VI. *Ra-*

VI. *Ratione DEI*: Hic enim est absolutus Dominus noster, qui omnibus præcipiendi jus habet. Cujus quoque mandata commendata sunt ab internis argumentis, quæ se ad conscientiam demonstrant. Homo verò, qui voluntatem DEI sive in naturâ revelatam sive in scripturâ patefactam pro norma actionum non habet, vult verò quod sibi videtur, vitiosâ hac voluntate affectus est.

VII. *Ratione hominum sive imperantium sive subjectorum. Ratione illorum:* Quando subditi, cives veluti, liberi, servi facere volunt, quod ipsi constituerunt, quanquam imperantes limites sibi præscriptos aut concessos non transgrediantur, leges adeoque præscribunt conformes cum voluntate DEI, jure suo & civium salute. *Ratione horum* quando Magistratus, qui servi DEI sunt, propria auctoritate in creaturas DEI dominantur, hinc leges condunt injustas, bonos, pios condemnant, vexant, malos impios absolvunt, aut saltem tolerant.

VIII. *Propria voluntas committitur tum in rebus communibus, tum in sacris quæ fidem & cultum concernunt. In illis:* ubi res politicæ, domesticæ, artificiales non nisi geruntur ex propria voluntate, quorum Symbolum

lum est: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*, ut si quis edit, bibit, se vestit, ut vult. *In his:* Si DEUS & res divinæ creduntur, quales esse homines volunt. Veluti DEUS fingitur misericors erga peccatores irresipiscentes, modò baptizati sint, aut huic vel illi Religioni nomen suum dent. DEUS talis revera non est. At homines volunt, ut talis sit. Sic quando modus volendi eligitur proprius, qui hinc notanter dicitur ἐθελοθρησκεία, *Religio propria voluntatis.* Coloss. II. 23.

IX. *Vitiosæ hujus voluntatis varii dantur gradus.* Quò clarior, sapientior, magis æqua & justa voluntas superioris est, eò peccaminosior propria voluntas inferioris. Qui omnia agit ex propria voluntate, ille magis peccat, quàm qui quædam. Sic qui in rebus sacris DEUM fingit, colit ex propria voluntate vitiosiori laborat voluntate, quàm qui idem agit in rebus communibus. Pariter qui suam voluntatem opponit voluntati divinæ, quàm qui humanæ. Vix vitiosior quorundam voluntas est, quàm eorum, qui nonsolùm ipsi ex propria voluntate res divinas fingunt, DEUM colunt, sed & vi cogunt, ut alii, qui in conscientia convicti sunt, se

omnem propriam & humanam voluntatem in causa Religionis abnegare, atque unicè velle debere, uti DEUS & Rex JESUS Christus vult, contra voluntatem supremi Numinis id ipsum velint, quod illi ἐθελοθρησκεύοντες volunt.

X. *Vitium hoc à nativitate nobis inest.* Carnis quippe, quam à naturalibus parentibus habemus fructus est. Unde in infantibus recens natis clarissimè se exerit. Volunt, ut omnia ex propria voluntate fluant, parentes, fratres ancillæ &c. agant, quod ipsi volunt. Sin, lachrymantur, resistunt. Aliquando propria voluntas iis adeo placet, ut non impleta eos in morbum, epilepsiam conjiciat. Deficiente sapiente ac severâ educatione crescit venenata hæc arbor & malè fœcunda est. Quando scil. parentes cœco amore erga liberos omnia ex nutu eorum agunt, cibum, potum, vestitum liberis dant, qualem & quantum volunt. Hâc ratione crescit, confirmatur propria voluntas, ut subsequente ætate tantò minus ad jussum superiorum, nequidem summi Numinis, inclinari ac flecti queat.

XI. *Propriæ voluntatis causa quoque est perversus sui ipsius amor.* Si enim propius attendimus, quare hoc vel illud homo velit, repe-

reperimus, esse perversum sui ipsius amorem. *Insuper ignorantia.* Voluntas DEI ignoratur. Voluntas propria aut saltem humana in causa Religionis prô divina habetur.

XII. *Quantum vitium propria voluntas sit, constat*, I. *quia fons est omnium peccatorum.* Vel quid est peccatum, quàm propria peccatoris voluntas, quâ non vult facere, quod DEUS, lex vult, sed quod ipse vult. Homicidium est voluntas occidendi proximum actualis.

XIII. II. *Propria voluntas DEUM, Religionem, verbum DEI, preces; omnia sacra tollit.* DEUS est independens, à quo alia quævis dependent. At propria voluntas à nemine dependere vult. Religio est cognitio & cultus DEI, qualem cultoribus suis præscripsit. At propria voluntas DEUM fingit, qualem vult, & reveretur ipsum, uti vult. Voluntas DEI est voluntas divina hominibus patefacta, ut regula sit voluntatis nostræ. At propria voluntas de alià tanquam regula nihil scire vult. Qui precatur, precatur, ut voluntas DEI fiat. At ille, cui propria voluntas, vult ut sua perficiatur.

XIV. III. *Propria voluntas omnem ordinem in civitate, familia subvertit.* Magistratus

 vult,

vult, ut mores gerantur justis, sapientibus legibus salutem civium spectantibus. At propria voluntas aliud sive contrarium vult. Parentes volunt, ut hic illeve labor in bonum familiæ subeatur: At liberi propriæ voluntatis contrarium volunt. Turpissimum vitium oportet sit, quod optimè ordinata invertit.

XV. IV. *Propria Voluntas in causa est, ut præstantissima ac sanctissima in se munera talia non sint.* Officium Pastoris præstantissimum munus est. Qui verò illud proprio motu suscipit, peragit, non DEI voluntatem, cultum præscribit, mandat, sed suam aut humanam, ille nihil minùs quàm Pastor est.

XVI. V. *Propria voluntas non solùm aliis adversa, sed & sibi ipsi irrequiei causa existit.* Invenit enim semper, qui ipsi resistunt, qui cum eo litigant, pugnant. Conscientia accusat, Spiritus S. ceu cujus suggestionibus contradicit, ipsum convincit de peccato. Exsors quoque vitæ æternæ, nam ille solus in regnum DEI intrat, qui voluntatem DEI facit. Matth. VII. 21.

XVII. *Sequitur abnegatio sui ipsius, quâ homo Christianus se ipso abnegato vult, quod DEUS vult & eo modo, quo DEUS.*

XVIII. *Homo, qui se ipsum abnegare debet, con-*

consideratur per peccatum aversus à DEO: qui sui ipsius Dominus & DEUS est: qui omnia agit, omittit propter se: cujus hinc actiones internæ & externæ se nonnisi respiciunt.

XIX. *Christianus, qui se ad DEUM convertit, hinc se ipsum abnegare debet.* Adeoque abnegat Dominium in se, jus sibi ipsi in se nullum tribuit, transfert verò omne in DEUM, JESUM Christum, quem DEUS Dominum fecit, pro Domino habet, qui ipsi jure præcipere valet.

XX. *Abnegat propria cogitata* de se, eruditione, dignitate, divitiis &c. constituit firmiter tales in se orituras cogitationes reprimere, opprimere. Ex adverso cogitare de DEO & rebus divinis. *Abnegat propriam voluntatem.* Non vult ex proprio motu, motu carnis suæ, sed quod vult, vult juxta voluntatem DEI, superioris. *Abnegat proprios affectus*, iram, invidiam, odium, metum, tristitiam, amorem, spem, lætitiam in rebus propriis. Irascitur, odio habet, invidet regno Satanæ: Metuit peccatum: Tristis est ob peccatum. Amat DEUM & proximum, spem habet de rebus promissis: lætatur de bonis spiritualibus. *Abnegat proprias imagines, propriam memoriam.* Obliterat quantum pote, imagines mundanas:

Carnales. Pingit imagines rerum & personarum sanctarum. Ex memoria delet suavia carni: Imprimit verò objecta divina, JESUM Christum, legem, Evangelium. *Abnegat proprios sermones & facta.* Non loquitur de se, rebus caris, jocosis: Nec agit, quæ prius agebat. Loquitur verò quæ ad gloriam DEI, ædificationem proximi: Agit actiones sibi præceptas, amorem, justitiam &c. *Abnegat statum & professionem suam.* Idque dupliciter. Si status & professio in se mala, eam prorsus deserit. Si status & professio in se bona, eam tamen hactenus nonnisi propter se, lucrum, honorem administravit, in posterum administrat propter DEUM & ex nutu DEI.

XXI. *Qui verò seipsum abnegat, ille alium habere debet, cui credat, obediat.* Hic verò est DEUS, JESUS Christus, quem ex Patris cœlestis imperio audire debemus. Etiam certâ ratione homo scil. si hic alteri ex ordinatione divina præfectus est, uti Magistratus subditis: Pater familiæ. Si dein nihil contra DEUM mandat: Aut si homo, quicunque ille, suadet, monet, docet, quod verum, sanctum, justum, æquum.

XXII. *Abnegatio requiritur universalis* sive Christianus omne proprium, non solùm

unum

unum aut alterum abnegare debet. Hinc Lex Christiani est: *abneget se ipsum*, se adeoque totum in cunctis cogitatis, cupiditatibus, sermonibus, factis, quæ ex sua carne ortum habent & repugnant voluntati divinæ. *In causis communibus* vitam hanc concernentibus, cibo, potu, vestitu, domicilio, eruditione, arte, statu, quatenus hæc desiderantur, possidentur contra voluntatem DEI. *In causis sacris*, cognitione, cultu, precibus, eleemosynis, jejuniis. DEUM cognoscere, colere, precibus adire non licet, uti nos volumus, sed uti ipse DEUS.

XXIII. *Abnegatio quoque omnibus Christianis incumbit sine exceptione statûs, conditionis, sexûs. Si quis post me venire vult, ille seipsum abneget* Matth. XVI. 24. adeoque omnis ad abnegationem tenetur, qui Christi discipulus esse vult. Imò quò quis majorem hominis Christiani statum conscendit, tantò magis seipsum abnegare debet. Ratio clara. Talis pleniorem voluntatis divinæ notitiam habet: Talis quoque seipsum, corruptionem suam & aversionem à DEO clariùs inspicit, hinc seipsum rectiùs abnegare potest, debet. Provectior Christianus increpationem ab omni, dignitate & eruditione longè inferiori, admittit. Ille quoque aliis

sive in civilibus sive Ecclesiasticis præfectus nihil præscribet, mandabit ex suo proprio commodo aut honore suo. Hinc non alii munera publica rectiùs administrant, quàm qui se ipsos abnegant.

XXIV. *At ais: quomodo meam rectè discerno à voluntate DEI? Ne meum habeam, quod divinum, aut divinum, quod meum est, atque ita abnegem divinum, velim verò meum.* ℟. Si seriò studes te ipsum abnegare, cognosces tuum & discernes à divino: quanquam ab initio non sine difficultate vel etiam errore. Tene itaque hanc methodum: Tua sunt vel clarè talia tibique nota vel incognita. Quod illa attinet, mox abnega, evita, fuga. Quod hæc, roga DEUM, ut te in sui notitiam indies magis deducat, atque eo fine, ut cuncta, quæ tua sunt, repellas, tollas. Tum solicitus attende ad cogitata, desideria, sermones & facta tua & observa, an DEUM & res divinas respiciant: an legi divinæ conformia: an gloriam DEI & salutem proximi spectent: vel an mundana, vana, carnalia sint: an repugnent legibus divinis: an tendant ad se, proprium suum commodum & gloriam.

XXV. *Media abnegationis sui ipsius sunt duplicis generis. Quædam in usum proprium: Alia in usum proximi.*

XXVI.

XXVI. *Illa:* 1. Studere pleniori & accuratiori cognitioni vitiorum & virtutum: vitia enim sunt nostra, sed virtutes DEI. 2. Studere consecutioni, conservationi Spiritûs S. Hic enim ceu Spiritus DEI semper contra carnem nostram appetit, castigat nos ob impietatem & concupiscentias mundanas: Monet verò & militat pro voluntate divinâ. 3. Voluntatem DEI in sacris revelatam sibi notam facere. Hæc enim clarè distinguit nostram à divina. In iis maximè locis, in quibus voluntas DEI à falsis glossis vindicatur, uti Matth. V. 6. 4. Minima, quæ quis ad *suum* pertinere novit, abnegare, rejicere. Qui in minimis fidus est, ille ad majora abneganda aptior est. Quum contrà, qui opinatur parùm referre an levia & minora, uti habet, abneget nec ne, longè ineptior ad majora & graviora evadet. Assuefacere se ad attendendum in cunctis actionibus, jussibus, qui inferioribus præscribendi sunt, ad voluntatem, leges, rationes, non verò ad commodum, honorem.

XXVII. *Hæc:* I. Frangere voluntatem liberorum in infantia. Primâ ætate non tam rationibus educandi sunt, quàm facto ipso. Nondum enim rationes turpis & honesti assequuntur. Igitur cibus, potus, vestitus

sive in civilibus sive Ecclesiasticis præfectus nihil præscribet, mandabit ex suo proprio commodo aut honore suo. Hinc non alii munera publica rectiùs administrant, quàm qui se ipsos abnegant.

XXIV. *At ais: quomodo meam rectè discerno à voluntate DEI? Ne meum habeam, quod divinum, aut divinum, quod meum est, atque ita abnegem divinum, velim verò meum.* R. Si seriò studes te ipsum abnegare, cognosces tuum & discernes à divino: quanquam ab initio non sine difficultate vel etiam errore. Tene itaque hanc methodum: Tua sunt vel clarè talia tibique nota vel incognita. Quod illa attinet, mox abnega, evita, fuga. Quod hæc, roga DEUM, ut te in suì notitiam indies magis deducat, atque eo fine, ut cuncta, quæ tua sunt, repellas, tollas. Tum solicitus attende ad cogitata, desideria, sermones & facta tua & observa, an DEUM & res divinas respiciant: an legi divinæ conformia: an gloriam DEI & salutem proximi spectent: vel an mundana, vana, carnalia sint: an repugnent legibus divinis: an tendant ad se, proprium suum commodum & gloriam.

XXV. *Media abnegationis sui ipsius sunt duplicis generis. Quædam in usum proprium: Alia in usum proximi.*

XXVI.

XXVI. *Illa:* 1. Studere pleniori & accuratiori cognitioni vitiorum & virtutum: vitia enim sunt nostra, sed virtutes DEI. 2. Studere consecutioni, conservationi Spiritûs S. Hic enim ceu Spiritus DEI semper contra carnem nostram appetit, castigat nos ob impietatem & concupiscentias mundanas: Monet verò & militat pro voluntate divina. 3. Voluntatem DEI in sacris revelatam sibi notam facere. Hæc enim clarè distinguit nostram à divina. In iis maximè locis, in quibus voluntas DEI à falsis glossis vindicatur, uti Matth. V. 6. 4. Minima, quæ quis ad *suum* pertinere novit, abnegare, rejicere. Qui in minimis fidus est, ille ad majora abneganda aptior est. Quum contrà, qui opinatur parùm referre an levia & minora, uti habet, abneget nec ne, longè ineptior ad majora & graviora evadet. Assuefacere se ad attendendum in cunctis actionibus, jussibus, qui inferioribus præscribendi sunt, ad voluntatem, leges, rationes, non verò ad commodum, honorem.

XXVII. *Hæc:* I. Frangere voluntatem liberorum in infantia. Primâ ætate non tam rationibus educandi sunt, quàm facto ipso. Nondum enim rationes turpis & honesti assequuntur. Igitur cibus, potus, vestitus

 dan-

dandus est, qui ipsis necessarius & utilis. Labor, qui subeundus, præscribendus est &c. Quanquam & parentibus incumbat, ne liberos educent sine ratione, prudentia, nullâ legum divinarum ratione habita: II. Successu temporis liberos adultiores per argumenta & sapientes leges in rebus communibus & sacris informare. Subsequens enim ætas admittit demonstrationes, rationes, leges earumque vim, liberi verò ita informati assuescunt argumentis, legibus: DEUM cognoscendum, colendum esse intelligunt, uti ipse DEUS vult, ut cognoscatur, colatur, non verò ut ipsi aut alii homines volunt, qui ἐθελοθρησκείαν commendant, urgent.

XXVIII. *Ad mediis his debitè utendum atque ipsi officio satis faciendum moveat nos prima Christianorum lex: Si quis vult post me venire, ille ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν abneget se ipsum.* Matth. XVI. 24. Christus hoc officium primò præscribit, ut doceat esse illud ex primis & necessariis, sine quo Christianus nemo fieri potest. Qui enim se ipsum non abnegat, ille sibi ipsi Dominus est; Ille agit, quod vult: ille semper commodum & gloriam suam quærit: ille adeoque DEUM & JESUM Christum pro Domino suo non agno-

agnoscit: ille non resistet cupiditatibus mundanis, ille crucem, ignominiam, dolorem non subibit. Nam hæc contra *se* sunt. Itaque Christianus futurus seipsum abnegare debet. Salvator boni doctoris partes implevit removens statim ab initio maximum, quod Christianismo opponitur, obstaculum.

XXIX. *Moveat nos denique eximius usus.* Homo enim, qui se ipsum abnegat, doctorem, ducem in omnem veritatem, sanctitatem, tranquillitatem, felicitatem assequitur. Homo sibi ipsi cœcus Dux existit: nam quoniam tenebricosus, in tenebris non nisi ambulat & nescit, quo vadit. Qui verò se abnegat, Christum ducem sequitur, ille ex eo audit cœlestem doctrinam, lucem cernit monstrantem rectam vitam. Homo sibi ipsi frœnum cupiditatum solvit, sed qui se abnegat, illi gratia salutaris apparet castigans, ut abneget impietatem, & concupiscentias mundanas, vivat autem temperanter, justè & piè in præsenti seculo. Homo sibi auctor irrequiei est; Qui verò se abnegat, tranquillam vitam ducit, nam abit is ad Christum, qui animabus quietem dat. Homo sibi quoque omnis infelicitatis causa est: Qui verò se abnegat, atque Christum

Domi-

Dominum habet, colit, ille à Principe salutis salutem accipiet.

xxx. *Moveat nos Christi exemplum.* Phil. II. 5. JESUS Christus, quanquam filius Dei, Dominus ex cœlo, quique malum nullum fecit, se ipsum tamen abnegavit. Patri obediens in mundum venit, in mundo obedientiam didicit, passus est, noluit, ut sua voluntas fieret, sed Patris. Quantò mage nostrum est nos abnegare, qui filii iræ cum filio Dei, servi terrestres cum Domino cœli nullatenus comparari possumus: Qui vocati, ut Christo similes existamus: Qui toties precamur: *fiat voluntas tua sicuti in cœlo, ita etiam in terra.*



CAPUT XVII.

De

HUMILITATE.

Σύνοψις.

EX *abnegatione sui ipsius, de qua superiori capite, fluit humilitas.* §. *I.*

Cui opponitur superbia. §. *II.*

Superbus est.

1. *Qui ortum, conservationem, gubernationem, maximè corruptionem suam ignorat.* §. *III.*

2. *Qui*

2. *Qui sibi arrogat, quæ non habet.* §. *IV.*
3. *Qui se effert ob ea, quæ aliunde accepit.* §. *V.*
4. *Cui sua tantùm placent.* §. *VI.*
5. *Qui sibi confidit.* §. *VII.*
6. *Qui mente, corpore & rebus externis superbit* §. *VIII.*
7. *Qui erga DEUM,* §. *IX.*
8. *Et proximum superbus est.* §. *X.*
9. *Qui humilitatem fingit.* §. *XI.*

Hinc constat, dari & varias species & varios gradus superbiæ. §. *XII.*
Prudens sibi cavet etiam ab infimis. §. *XIII.*
Deteguntur origines hujus vitii. §. *XIV.*
Objectio solvitur. §. *XV.*
Et Enormitas monstratur. §. *XVI - XIX.*
Vitii tractatione absoluta, dicendum de humilitate. §. *XIX.*
Cujus sedes cer. §. *XX.*
A quo sublimia absunt. §. *XXI.*
Et cui humillima insunt. §. *XXII.*
Talis fatetur, se præclarum aliquid præstare haud posse. §. *XXIII.*
Hinc diffidit sibi, confidit verò DEO. §. *XXIV.*
Si munus aliquod ei imponitur. §. *XXV.*
Non superbit ob munus præclarè gestum. §. *XXVI.*
Non etiam diffitetur peccata sua, quando eorum confessio requiritur. §. *XXVII.*
Talis quoque humilis est in omni statu, prospero ac adverso. §. *XXVIII.*
Etiam in colloquiis. §. *XXIX.*
Nec non in victu, amictu & domicilio. §. *XXX.*
Humilis insuper est coram DEO. §. *XXXI.*

Et cò-

**********:**:***********

§. I.

ABnegatio sui ipsius, de qua superiori capite, *ex se gignit humilitatem*, superbus non erit, qui se ipsum abnegat.

II. *Humilitati opponitur superbia, quâ homo immemor vilitatis suæ, plus sibi tribuit, quàm tribuere debet.* Id quod variè fit.

III. *Superbus est, qui nescit ortum, conservationem & gubernationem, maximè corruptionem suam, quæ tot veræ humilitatis argumenta præbet.* Nescit se ante paucos annos in rerum

rerum natura non fuisse: se ex fœdido semine in utero materno prognatum inter stercus & urinam per novem menses latuisse: Nescit se singulis momentis in nihilum prolapsurum, nisi potenti Numinis manu servaretur: Nescit se in manu DEI esse uti pila in manu lusoris, atque huc illuc volvi, volente & volvente liberrimo DEO. Nescit naturam suam Carnalem, peccatricem, domicilium impurorum Spirituum hinc filium Gehennæ. Nam quia homo hæc ignorat, prima fundamenta fastûs in ipso ponuntur.

IV. *Superbus est, qui sibi arrogat, quæ non habet.* Apoc. III. 17. Solet enim superbus cœcus esse, qui imaginatur se possidere, quod nullatenus possidet aut si exiguum quid possidet, ingens illud esse fingit. Deformis superbit ob formosam faciem, rudis ab eruditionem. Aut qui fundamenta jacuit vel instrumenta, linguas veluti, tractare didicit, opinatur se veram sapientiam exactè nosse.

V. *Superbus est, qui se effert ob ea, quæ aliunde accepit sive sint bona fortunæ sive corporis sive animæ.* Deut. VIII. 13. 14. 17. Dan. IV. 27. Hìc valet illud Pauli, *quid habes, quod non accepisti: Si verò accepisti, quare gloriaris ac si non accepisses,* 1. Cor. IV. 7. Mendicus, qui

qui arrogans est ob largiorem stipem collectam, intolerabili fastu laborat. Huic similes sunt elati ob peregrina bona. Et quid sunt bona fortunæ? Neminem sapientem, sanctum, felicem reddere queunt. Bona sunt, quibus pessimi quique abundant. Bona fluxa, peritura. Etiam bona corporis communia nobiscum bestiis: Imo bestiæ homines fortitudine, magnitudine, agilitate, decore &c. communiter superant. Animæ bona quidem ea, de quibus hactenus superant, sed tantò periculosiora, quò majora & cum fastu conjuncta existunt. Diabolus bona spiritualia præ alia creatura accepit. Quia verò se extulit, ex cœlo in infernum detrudebatur.

VI. *Superbus, cui sua tantùm placent; Hinc αὐτάδης dictus.* Effusè amat, æstimat sua cogitata, judicia, ratiocinia, decreta, consilia, dicta, facta: sua sunt optima, acutissima, solidissima, prudentissima, sapientissima, selectissima, utilissima: Aliorum cum suis comparari nequeunt. Simia solet catulos suos magni facere.

VII. *Superbus sapientiæ, fortitudini suæ confidit, nec quidquam sibi metuit.* Apoc. XVIII. 7. Quia enim cœcus nescit imbecillitatem suam, plus sibi tribuit, quàm possidet & alterum

alterum præ se contemnit, hinc fit, ut sibi confidat.

VIII. *Superbus mente, corpore, rebus externis.* Fastus in mente incipit, ceu in qua homo ὑψηλοφρονεῖ *alta sapit*, cogitat, imaginatur, ingentia sibi promittit. Hinc fastus fermenti instar, ad corpus transit, atque illud intumescere facit. Buccæ tument, oculi & supercilia alta, collum erectum, incessus gravis, totum denique corpus elatæ mentis index est. Maximè tamen os ὑπέρογκα *prætumida*, verba ampullata, jactabunda eloquitur; Impatiens est, si alii proximum laudant, aut intercipiunt, quem de se inchoavit magnificum discursum. Fastus in corpore non subsistit, transit quoque ad vestitum, ædes, supellectilia, stationes. Hinc vestes sibi confici jubet pretiosas, pompales. Ædes quoque & supellectilia nitida, varia, nova semper & recens inventæ formæ conformia sibi parat. Si verò opes horum emtionem denegant, formam tamen singularem, quô se ab aliis distinguit, aliquando non sine publico risu eligit. Stationem eminentem prensat, mox altiorem cogitat, quærit, ambit, nec quiescit, donec fastigium conscendit.

IX. *Superbus erga DEUM.* Talis, qui glo-

riatur coram DEO de operibus suis: Qui confidit meritis suis atque propter ea mercedem à DEO poscit: Qui vias DEI culpat, reformat, stultè arbitratur, res juxta modulum ingenii sui rectiùs geri: Murmurat, quando res propriæ non ex voto fluunt, aut si alios sibi prælatos videt.

X. *Superbus erga proximum tum inferiorem*, quem nullo loco habet, contemnit, quæ iste dicit, consulit, agit, levia habet, maximè in causa Religionis, Laicos ducit pro populo maledicto, qui legem non novit. *Unde illi sapientia*, quam in scholis superioribus non didicit? *tum parem*, cui se multùm præfert: Quæ in eum contulit dona DEUS, minuit, traducit, famam ejus arrodit, inutilem, quantum penes se, reddit, ut ipse solus audiatur, laudetur. *Tum superiorem*: Quam ipsi debet reverentiam, eam non exhibet, saltem non ex animo: Invidet locum, quem sibi deberi potius arbitratur: Invenit semper, quæ in ejus actionibus reprehendat. Monitori asperum se præbet, nec vult culpari, licet factum culpabile patraverit.

XI. *Notanda quoque est ficta humilitas, quæ revera nihil aliud quam superbiæ gradus major.* Qualis eorum, qui eligentes certum vitæ genus, tenuem amictum, victum, ab aliis se

ſe ſine ſolida ratione vel præcepto divino diſcernunt, atque in his ſanctitatem ſingularem conſtituunt, Coloſſ. II. 18. 23.

XII. *Ex dictis jam conſtat non ſolùm varias faſtûs ſpecies ſed & varios gradus dari.* Jam is ſuperbè agit, qui ſe magno loco habet ſed magis ſuperbus is, qui proximum, etiam infimæ ſortis hominem, contemnit. Et hunc ſuperat, qui pares aut ſuperiores deſpicit. Superbia eſt, culpare actiones humanas; At longè major actiones DEI. Faſtus mentis jam vitium eſt: Si verò illud ad corpus tranſit, gravius eſt. Faſtus ob bona fortunæ & corporis vitioſus, ſed vitioſior ob bona ſpiritualia: Hæc enim præ aliis homini ad humiliationem dantur, ſed in materiam faſtûs commutata DEO ejusque ſummæ gloriæ tantò magis adverſantur. Id quod exemplis malorum Angelorum hominumque, qui præ aliis res ſacras tractant, noruntque, conſtare poteſt.

XIII. *Quia gradus hi combinati ſunt, oportet caveat ſibi homo ab infimis, ſi ſummos deteſtatur.* Certè qui ſua extollit, aliena deprimet: Qui ruſticum, civem deſpicit, facilè deſpiciet, ſaltem ſuccedente ætate, ſuæ claſſis hominem: Qui locum dat ſuperbis cogitationibus, ille mox externæ ſuperbiæ

 ſigna

ſigna edet. Vitia quanquam non ſimul & ſemel omnem perfectionem conſequantur, tandem tamen ad perfectionem ſuam aſſurgunt, niſi obſtaculum ponas, tollas, eradices.

XIV. *Vitium hoc ſequenti circiter modo gignitur ac creſcit.* Homo naturâ cæcus eſt, neſcitque rerum ortum ac pretium. Hinc quæ habet, quanquam aliunde acceperit, ut ſua agnoſcit, æſtimat. DEUM ceu Spiritum ejusque bona ſpiritualia prorſus ignorat. Accedit ad hanc cœcitatem & ignorantiam Apoc III. 17. imprudens educatio & informatio; ſi rubent baccæ, facies clara, coram laudatur infans; ſi novam, nitidam veſtem geſtat, rurſum laudatur & præfertur aliis. Labor, diligentia, obedientia aliaque commendantur promiſſa dignitate & excellentia præ aliis. Divitum, potentum liberi præferuntur liberis pauperum, civium, ruſticorum. Hæc & ſimilia eum effectum in carnali noſtrâ natura relinquunt, quem fermentum in maſſa. Liberi enim ratione nondum ita pollent, ut vanos & mendaces ejusmodi ſermones dignoſcere queant: Potius carnali eorum ad tumorem proclivi naturæ placent, ſeque efferunt ſuper alios. Si adoleſcunt, ſuperba hæc cogitata per axiomata

& pra-

& praxin mundanam confirmantur. *Quicquid inter homines eminet, excellit, singulare est aut tantum eminere, excellere, singulare esse putatur, id solet mundus æstimare; Hinc qui talia possident, aut arbitrantur se possidere, ideo superbiunt.* Huc pertinent *formosa facies, procera statura, robusti lacerti.* Hinc formosi deformes, claudicantes, proceri pusillos, fortes imbecilles contemtim habere solent: *divitiæ:* Quid communius, quàm ut divites pauperes, indigos abjectè tractent; amico colloquio aut aspectu indignos judicent? *Genus:* Ignobiles, ut dicuntur, nobilibus crasso aëre nati, formati ex alio luto videntur. *Status:* status statu honoratior esse vult: Hinc inter illos æmulatio, Status Politicus Ecclesiasticum, hic illum antecedere contendit. *Dignitates:* Qui in majori dignitate constitutus se effert super alium in inferiori putatque dignitati suæ adversari, si hunc amicè & honorificè exciperet. *Eruditio:* solet enim scientia, quæ absque amore, mentes inflare. 1. Cor. VIII, 1. Hinc literatus illiteratum עַם־הָאָרֶץ, *populum terræ*, qui ad terram colendum damnatus, qui aliam utilitatem societati non exhibet, quàmquam bestia, reputare.

XV. *At dices: An non divitiæ, genus, status, dignitates Eruditio à DEO sunt?* ℞. Sunt

certâ ratione. Sed non ſunt, ut ſuperbias, aut proximus contemnatur. 2. Quis te divitem, potentis filium, ſenatorem, eruditum fecit? An DEUS? ſi DEUS, agnoſce donum & utere eo ad gloriam ejus in omni ſubjectione. 3. Quæcunque DEUS inſtituit, inſtituit tum ad communem uſum tum ad explorandum. At ſuperbus divitias, potentiam, eruditionem in proprium uſum cum damno publico impendit.

XVI. *Adeo ineptit, delirat, imo furit cæcus faſtus, ut quod materia pudoris & opprobrii eſt, ipſi materia ſuperbiæ ſit, aut quod heic loci indecorum, alibi decorum habeatur.* Reperies homines, qui gloriantur de ſcelere patrato, qui puſillanimos convitiantur, metum peccati prætexentes, quales inter juvenes & militiæ deditos plures numero exiſtunt.

XVII. *Et vice verſa, quod verè bonum ſalutare DEO gratum quodque hominem extollit, id ſuperbus turpe & inhoneſtum habet.* Quò pertinet peccatorum confeſſio, diſcurſus de rebus divinis, vera humilitas: Exemplum in Michale.

XVIII. *Deteſtaturus faſtum probè obſervet, quàm abominabilis ſit. Quippe omnis altus corde Jehovæ abominatio eſt.* Prov. XVI. 5. VI. 16. Et meritò: nam ſuperbus DEO ſub-

ſubjici non vult, jus divinum in ſe negat, militat adverſus DEUM, unde DEUS *ἀντιτάσσεται* *reſiſtit ſuperbis* Jac. IV. 6. *Eſt dein crimen diabolicum.* Diabolus enim affectat honorem divinum Matth. IV. 9. *Eſt porro hoſtis virtutum.* Nam virtus conſiſtit in obedientia erga Legislatorem ejusque leges. At ſuperbus ſuperiorem non admittit, aut non niſi ægrè. Lubentia verò ſingulare virtutis decus eſt. Verum quidem quod ſuperbi reperiantur, qui opus ipſis commiſſum ſtrenuè agunt ſed & verum, quod non tam agant amore obedientiæ, quàm propriæ gloriæ, prælationis. *Eſt inſuper Patronus vitiorum.* Timor DEI eſt commune frœnum à vitiis retrahens. At ſuperbus absque metu Numinis eſt. Superbus pronus ad iram, pugnam, injuſtitiam. *Eſt porro vitium ſtolidum atque irriſione dignum.* Id, propter quod ſuperbus ſe effert vel habet vel non habet. Si non habet, quare ſe effert? Si habet vel commune cum aliis creaturis, beſtiis, hominibus iisque malis, vel ſingulare. Si prius, rurſum nulla ſuperbiendi materia eſt. Si ſingulare, vel malum vel bonum. Si malum, quare ſuperbiendum. Si bonum tum à DEO. Si verò à DEO, tum in humilitate poſſidendum eſt. Eſt enim

aliûs bonum. *Respuit praterea remedia divina & humana, mitiora ac duriora.* Si DEUS superbum immeritis beneficiis ad obediendum allicit, beneficia satis merita merita ducit, in ipsum ob sapientiam, fortitudinem collata: Si verò homo fastuosum increpat, increpationem pro injuria habet, minatur processum de injuria instituendum, exprobrat quæcunque de eo suspicatus erat, facinora. *Denique attrahit damna.* Cum fastuosis nulla coli potest amicitia. Ille aliis: alii ipsi repugnant: *Fracturam antecedit elatio; Ruinam altitudo mentis* Prov. XVI. 18. (quanqum) *manus manui juncta ad auxiliandum superbo non* (tamen) *impunitus dimittetur* ℣. 5. Exemplum notatu dignissimum prostat in potenti Rege Nebucadnezare.

XIX. *Humilitas*, quæ superbiæ opposita, *est ea hominis Christiani virtus, qua de vilitate sua in corde convictus humiliter de se sentit notasque humilitatis in vita sua edit.*

XX. *Humilitas in corde humano oritur.* Hinc Græcis rectè dicitur ταπεινοφροσύνη, qua quis ταπεινὰ *humilia*, non verò ὑψηλὰ φρονεῖ, *alta cogitat* mente sua volvit Rom. XII. 16. & Matth. XI, 29. humilitas de *corde* prædicatur.

XXI. *Hu-*

XXI. *Humilis adeoque sublimia non cogitat nec appetit, multominus perfectiones sibi arrogat, quas non habet.* Aut si incidant ejusmodi cogitata, resistit illis petitque abs DEO ut liberetur ab elatis cogitationibus, Pſ. XIX. 14.

XXII. *Humilis humilia cogitat, quæque ad sui humiliationem faciunt.* Cogitat adeoque se nihil esse atque quantum penes se in nihilum prolapsurum, quamprimum potens DEUS fulcientem suam manum subtrahet: cogitat porro se ad bonum spirituale ineptum, aptumque verò esse ad peccata, se impietatem imbibere aquæ instar, nisi DEUS odium peccati ingeneret. Pensitat, numerat defectus suos atque se maledictione dignissimum coram DEO habet.

XXIII. *Hinc humilis agnoscit quidem se DEO ac proximo servire debere,* (quod servitium etiam libenter suscipit) *sed attendens ad inidoneitatem suam, se præclarum quid præstare posse negat.* Non ergo cum aliis de regimine, primo loco contendit; Mavult aliis subjici, ab aliis regi atque leviora, quæ in societate munera sunt, administrare.

XXIV. *Unde quæ suscipit, agit, diffidens propria sapientiæ, potentiæ, sapientiam & potentiam Numinis invocat.* Etiam in opere occupatus jugem influxum & præsentiam DEI

implorat. Opere finito laudat auxilium DEI, quod rectè factum DEO, defectus verò sibi attribuit.

XXV. *Quanquam gravius munus vel regimen in alios non ambiat, quin potius quoad se declinet, attamen oblatum, obtrusum ab aliis, cum timore suscipit, fideliter obit, in neminem dominatur, potius omnibus servit.* Tametsi ex corde humilis sit & in humilitate muneri præsit, neutiquam tamen de regula divina sub prætextu humilitatis recedit & hominum voluntati cedit. Hoc esset humilem se præbere erga homines, efferre verò se supra DEUM.

XXVI. *Ob dotes excellentiores earumque in muneris administratione notabiliorem fructum humilis se non effert.* Luc. XVII. 10. Laudat gratiam divinam, se illâ ex animo indignum habet, cuncta refert ad gloriam Numinis, non verò propriam Ps. CXV. 1. Quanquam etiam non concedat, ut operatio Spiritûs S. vituperetur, hinc munus ad salutem proximi verè gestum damnum patiatur. Unde Christus ex corde humilis operationes Spiritûs S. contra Pharisæos & scribas defendit. Paulus quoque prolixus in donis suis & missione divina probanda; Imo apertè ait: *abundantiùs laboravi, quàm*

alii

alii 1. Cor. XV. 10. conf. 2. Cor. XI. XII. ſed addit, *non verò ego ſed gratia DEI, quæ mecum.* Si Paulus voluiſſet humilitatem ſuam teſtatam facere, ſilendo ad obtrectationes adverſariorum, facilè regnum Chriſti damnum paſſum fuiſſet. Quanquam lubens largior plures dari, qui ejusmodi exemplis abutuntur, qui prætexunt, gloriam divinam Apologiam poſcere, cujus tamen nulla aut exigua, magna verò propriæ ab ipſis habetur ratio. At ſuo tempore juſtus judex diſcernet inter hos & illos.

XXVII. *Humilis peccata ſua tum in genere tum etiam in ſpecie, quando gloria DEI & ædificatio proximi ad proprium pudorem fatetur, aut ab aliis revelata non diffitetur.* Paulus priſtinum ſuum ſtatum ſemel ac iterum in Epiſtolis ſuis enarrat, ac ſummè peccaminoſum proponit.

XXVIII. *Humilis vel verſatur in proſpero vel adverſo ſtatu.* In illo extollit immerita beneficia: In hoc humiliat ſe ſub potenti manu DEI. Agnoſcit ſe hoc non ſolùm ſed & gravius judicium promeritum eſſe. Itaque paupertatem, convitia, dolores patienter fert. Sic David in ſtatu proſpero: *Quis ſum ego Domine Jehova, & quæ eſt familia mea, quod deducis me eousque.* 2. Sam. VII. 18.

Sed

Sed in adverso, in quo maledicus Simei Regi maledixerat, perpatiens fuit, *si Jehova edixit* (Simei) *maledic Davidi, ecquis dicat, quare* sic facis? 2. Sam. XVI. 10.

XXIX. *Humilis in colloquio, quod cum aliis ducit, de se & rebus suis non sine gravi ratione loquitur: Nam propria laus sordet. Nec quidem probat, ut alii facta sua celebrent.* Loquitur tamen de rebus suis, si insigniter faciant ad laudem Numinis ac discursus utilis audienti existit, qualis eorum, qui narrant, quas vias in conversione calcaverint: quæ obstacula experti fuerint: qua ratione illa amota: quomodo misericors DEUS instantes preces exaudiverit, uti Augustinus confessiones suas magno cum Ecclesiæ commodo reliquit. At talis discursus, libellus à propria laude remotissimus, totus verò factus ad laudem Numinis erit. Quem in finem requiritur solicita observatio sui, suorumque motuum internorum, ne narratio propria n laudem quærat, sibi aliquid approprïet. Certè perfectus mihi videtur, qui, quæ DEUS insignia per illum præstitit, ita narrat, ut unicè gloriam DEI respiciat. Pf. CXV. 1.

XXX. *Humilis corde evitat fastum externum in victu, vestitu, domicilio.* Modus quidem specia-

ſpecialior, qui in memoratis tenendus, nemini in ſacris præſcriptus, hinc etiam à nobis non præſcribendus eſt. Nec enim vera humilitas in tenui cibo, ſordidâ veſte & ſubmiſſa caſa rectè quæritur. Aliâs metuendum, ne talis incidat in ſuperbam humilitatem. Humilitatis ſtudioſus in his nullam gloriam collocat, quærit: Habet potius, uti revera ſunt, pro documentis imperfectæ humanæ vitæ, quæ ex parte à peccato ortum ſumſit, ex parte cum beſtiis communis eſt: Præſens vitæ noſtræ ratio uſum harum rerum neceſſarium facit; quare neceſſitati, ac etiam veræ utilitati tum ad hanc tum etiam ad ſpiritualem vitam ſatisfaciendum eſt. Fugit verò, quæ vitam naturalem, ſpiritualem lædunt, impediunt, ſicuti talis luxus plurimum lædit ac impedit.

XXXI. *Humilis erga DEUM.* Majeſtatem & perfectiones divinas cum admiratione, ſubmiſsâ mente intuetur, extollit & ſibi opponit. DEUM quippe conſiderat Jehovam independentem, Spiritum, infinitum, æternum, omniſcium, immutabilem, fontem vitæ, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, juſtiſſimum, veracem, optimum, omnipotentem, beatum, glorioſum, Creatorem, Conſervatorem, Gubernatorem, ſe verò toto animo

animo considerat & agnoscit tanquam umbram, in omnibus dependentem, carnalem, vanum, qui heri demum natus & crastinâ denascetur, rudem & rerum divinarum ignarum, in omnes horas mutabilem, filium mortis, turpem peccatorem, injustum, mendacem, malum, impotentem, infelicem, tenebricosum, cinerem & pulverem, qui propria virtute ne per momentum quidem subsistere valet atque qui in manu DEI ut lutum in manu figuli est. Qui ergo nullam gloriam pro se quærit, omnem ad DEUM transfert. Qui contentus, quomodocunque à DEO regatur, quanquam in paupertatem, contumeliam incidat.

XXXII. *Humilis erga proximum. Humilitate vos invicem existimate superiores se ipsis.* Phil. II. 3. conf. Rom. XII. 10. Agnoscendum & honorandum in proximo divinum artificium, maximè, si ille verus Christianus, divina natura, cujus particeps est. *Proximus vel inferior vel par vel superior est. Inferiori* humilitatem debeo, quia in statu humili altitudo est. Jac. I. 9. Atque is Christo humili propior est. Debeo quoque *pari*, cujus adeoque dotes naturales, spirituales, suspiciundæ sunt. Quæ consilia dat, quas functiones obit, ex æstimandæ sunt.

sunt. Quando ab aliis honoratur, honori non invidendum est: Ille potius tuendus atque augendus est. Debeo denique *superiori.* Hic enim mihi præpositus est. Ipse DEUS me inferiorem constituit, adeoque meum est superiorem, quem mihi DEUS præfecit, honorare.

XXXIII. *Ex dictis constat & humilitatem gradus suos habere.* Quò profundior, eò nobilior. Profundior est, quò humilis ortum, conservationem, gubernationem, maximè corruptionem suam magis perspicit. Quò quoque gloriam & majestatem DEI summam clariùs novit. Qui in statu felici ac prospero constitutus se intuentibus aliis erga inferioris sortis homines humilem exhibet, ille longè superat humilem in statu afflicto se coram superioribus nemine aut paucis præsentibus deprimentem.

XXXIV. *Exploraturus, num verè humilis sit, tum ad radicem ejusque succum, tum ad fructus foliaque attendat.* Qui cor suum curatè investigat, reperitque illud altum non esse, sed depressum Ps. CXXXI. 1. Matth. XI. 29. adeoque ταπεινοφρονεῖν aut pugnare adversus initia fastûs, quæ in se deprehendit: Qui quoque evitat proprias laudes, ac omnem in externis ostentationem: Qui aliis præferri

nec

nec cogitat nec contendit, sed statione suâ contentus vivit, gaudetque si benè meriti sibi præferuntur, Qui cum inferioribus lubenter conversatur eosque ex animo honorat: Qui denique increpationes æquo animo fert, nec irascitur, si ab aliis contemtus debitoque honore privatus est. Hæc similiaque signa explorantem de humilitate certum reddere queunt.

XXXV. *Si qua virtus naturâ homini deest, humilitas deest.* Nec quidquam minus ex peccatrice carne nostra expelli potest, quàm fastus. Exemplum prostat in Apostolis, qui jam omnia reliquerunt, Christumque secuti sunt, qui tamen inter se invicem de præcellentia contenderunt. Paulus jam per aliquot annos Apostolatu magno cum fructu defungebatur; Attamen consultum videbatur DEO, Angelo Satanæ aliquam in ipsum potestatem relinquere, *ne se efferat* 2. Cor. XII. 8. 9. Habet verò hæc observatio insignem suum usum; Docet enim nos, quantâ cura hostem hunc in carne nostra observare debeamus. Tum solatur nos militantes adversus fastum, quod etiam magni Apostoli contra illum militare debuerint, denique impellit, ut recto mediorum usu, ac motivorum pensitatione moveri nos sinamus ad studium humilitatis. XXXVI.

XXXVI. Media autem sunt. I. *Se ipsum nosse, maximè peccata sua, multa, varia, ac gravia.* Qui enim se ipsum novit, plurima reperiet se humilem gerendi argumenta. Homo non à se est, nec per se existere pergit: ad bonum ineptus, aptus verò ad malum est: peccata patravit innumera: II. *Nosse DEUM, ejus majestatem & excellentes perfectiones.* 1. Petr. V. 6. Homo, qui Majestatem Numinis novit, atque eum nihilo suo confert, cognoscet quid altum, quid humile: quomodo adeoque, qui vix pulvisculus, si cum DEO confertur, in profunda humilitate vivere debeat. III. *Legere vitam Christi, humiliumque Christianorum.* Christus, quanquam rapinam ducere non debuerit, ut æqualem se haberet DEO, tamen ut servus in his terris vixit. Dominus servis, Magister discipulis servivit. Apostoli in profunda humilitate conversati sunt: pedibus in contrarium iverunt illis, qui honorem DEO debitum in se transtulerunt Actor. XIV. 14. 15. Gloriam miraculorum, quam alii ipsis attribuere videbantur, retulerunt ad JESUM Christum Actor. III. 12. IV. *Cavere sibi à μεθοδεία seductione.* Seducitur is, aut se ipsum seducit, qui arbitratur humilem esse, qui verba humillima exaggerat sive in precibus sive in discursu. Fraus

quoque insignis diaboli est, qua persuadere vult, humilitatem poscere occultationem bonorum operum, quum tamen Christus jubeat: *splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera & laudent patrem vestrum in Cælis.* Matth. V. 16. conf. 1. Petr. II. 12. Phil. II. 15. Verum quidem est, quod nullum bonum opus gloriæ aucupandæ causâ suscipiendum sit: Verum quoque, quod quæ DEUM & hominem solum spectant, rectè in occulto agantur, sed lux, quæ in publicum usum data, haud obscuranda est.

XXXVII. *Motiva verò: Voluntas DEI:* Mich. VI. 8. *O homo, annuntiatum tibi, quid bonum, quidve DEUS à te requirat, scilicet, humiliter incedere cum DEO tuo.* Eph. IV. 1. 2. *Ambulate convenienter vocationi, qua vocati estis, cum omni humilitate.* Rom. XII. 16. *Nolite alta sapere, sed cum humilibus vos submittite.*

XXXVIII. *Humilitas dein tutum fundamentum aliarum quoque virtutum.* Sine humilitate aliæ virtutes basin non habent. Notitia rerum divinarum sine humilitate diabolicum crimen est.

XXXIX. *Humilitas porrò pulchritudo hominis Christiani.* 1. Petr. V. 5. *Omnes autem invicem subjecti humilitate,* ἐγκομβώσασθε, *intus orna-*

ornamini. Hinc fœminis Christianis idem Petrus loco ornatûs mundani commendat spiritualem, spiritum mansuetum & tranquillum. 1. Petr. III. 4.

XL. *Conciliat insuper gratiam divinam & humanam. Illam; nam DEUS dat humilibus gratiam.* 1. Petr. V. 5. Jac. IV. 6. gratiosè eos aspicit Luc. I. 48. Jes. LXVI. 2. consolatur humiles 2. Cor. VII. 6. in humilibus tanquam in Templo habitat. Es. LXVI. 3. *Hanc:* quia enim humiles nemini adversantur, omnibus subjectos se præbent, hinc fit, ut aliorum gratiam sibi comparent.

XLI. *Præterea humilis sibi constans ac in se quietus est.* Etenim humilis alta non cogitat, quærit. Ille contentus satis, etiam durioribus. Si contumeliâ &c. afficitur, humilis immobilis est, non irascitur, cogitat se duriora peccatis suis promeritum esse. Uti in natura alta facilè ruunt, sed humilia in eodem loco subsistunt, sic quoque in Spiritu.

XLII. *Denique humilitas certissima ad cœlestem altitudinem via est. Nam qui se humiliat, illum exaltabit DEUS.* Luc. XVIII. 14.

XLIII. *Ultimò humilitas Christianus affectus est. Hic affectus sit in vobis, qui etiam in JESU Christo.* Phil. II. 5. *discite à me, nam*

 man-

mansuetus sum & corde humilis, & requiem pro animabus vestris reperietis. Matth. XI 29.




CAPUT XVIII.

De

Temperantia cupiditatum.

Σύνοψις.

Corpori humano cupiditates insunt. §. *I.*
Ha considerantur ut naturales & morales. §. *II.*
Naturales quanam. §. *III.*
Morales vel bona vel mala. §. *IV.*
Cupiditates moraliter mala feruntur, in objecta contra legem. §. *V.*
Objecta hac sunt vel saltem apparent carni grata. §. *VI.*
Suntque innumera. §. *VII.*
Explicatur malitia cupiditatum in quo ea consistat. §. *VIII.*
Intemperantia species; Interna & externa. §. *IX.*
Rarior & frequens. §. *X.*
Ortus. §. *XI.*
Turpitudo. §. *XII.*
Gradus. §. *XIII.*
Speciatim (a) *de intemperantia in esu, quid sit.* §. *XIV. XV.*
Quam momentanea & noxia. §. *XVI.*
(b) *In potu.* §. *XVII.*
Intemperantia hujus varium damnum. §. *XVII.*
(c) *In impuritate carnali.* §. *XIX.*
Ejus origo. §. *XX.*
Rivi. §. *XXI.*
Species. §. *XXII.*



§. I.

Corpori humano cupiditates inesse experientia unumquemque docet.

II. *Cupiditates considerari possunt vel ut naturales vel ut morales.*

III. *Illo modo*: Creator corpus indigum condidit; hinc corpori dedit facultatem cupiendi ea, quæ ad sui sustentationem requiruntur. Fames nihil aliud est quam ingens cupiditas cibi: Sitis cupiditas potûs. Unde liquet cupiditates naturales physicè bonas esse, ortum trahere ab ipso Naturæ auctore, egregiè facere ad sustentationem vitæ ejusque jucunditatem. Nam homo, qui cibum non appetit vel mortuus est vel ægrotat.

IV. *Hoc: sunt vel moraliter malæ aut bonæ.*

V. *Cupiditates moraliter malæ sunt, quæ objecta carni grata contra legem appetunt, aversantur ingrata.*

VI. *Objecta cupiditatum*, de quibus hic, *sunt blanda & carni grata.* Nunquam cupiditas nostra fertur in ingrata, ceu ingrata, saltem tum, quando fertur, quanquam subsequente tempore sæpius ingratissima fiant.

VII. *Objecta hæc innumera sunt. Possunt tamen commodè in invisibilia & visibilia dividi. Et hæc rursum pro numero sensuum.* Quædam blandiuntur carni nostræ ob gustum: Alia ob tactum: Alia ob visum: Rursum alia ob auditum: Denique alia ob olfactum, Ad quæ adhuc accedit quies sive somnus.

VIII. *Objecta hæc contra legem appetuntur.*

1. S

1. Si in se prohibita sunt. 2. Si nimium appetuntur. 3. Si appetuntur pretiosiora, delicatiora cum damno rei familiaris. Aut non recto tempore vel loco aut cum alia culpabili circumstantia.

IX. *Intemperantia est vel interna vel simul externa. Illa*, quando intra hominem appetitus rerum carni gratarum oritur, fovetur, oblectamento est optaturque, aut quæritur occasio illis externè fruendi. *Hæc*, quando cupiditas in corde orta per actum externum consummatur. Jac. I. 14. 15.

X. *Intemperantia rarior vel frequens ac consuetudinaria.* Intemperantia maximè in quibusdam intemperantiæ speciebus facilè in consuetudinem ac sic alteram naturam abit. Fert enim secum carnalem gratiam: Hinc carnem irritat, allicit. Sensus, membra indies magis disponuntur aut etiam inflammantur ad idem bonum jucundum, blandum expetendum, consequendum.

XI. *Intemperantia in genere ortum trahit ex carne cæca & sapiente rectore suo destituta.* Nam caro indiga cibum, potum &c. appetit atque etiam appetere debet: Quando verò sapiente rectore destituta appetit, assumit sine selectu, modo aut ratione ad circumstantias habitâ. Quia enim cæca est,

 nihil

nihil videt, nihil discernit, modum ponere nescit. *Ad intemperantiam speciatim multùm tribuit constitutio corporis.* Unde liberi pariter educati diversis cupiditatibus magis aut minus temperatis feruntur. Quod quidem, quatenus tantum naturale est, moraliter malum non habemus. At post peccatum nunc fit, ut talis inclinatio, propensio, impetus facillimè in peccatum abeat. *Dein educatio:* Quando in infantia, pueritia cupiditatibus frœnum laxatur, cupiditates inescantur, ampliantur, quid mirum, si subsequente tempore juvenes, viri ita educati intemperantes sunt? saccus, quo diffusior, tantò magis capit, si adimplendus est. *Insuper conversatio, convivia, compotationes, circummissiones poculorum.* Qui cum porcis conversatur, & ipse fit Epicuri de grege porcus. Convivia & compotationes abblandiuntur omnibus sensibus carnis nostræ, & hinc se fortissime insinuant. *Circummissiones poculorum* aliquando plurium, grandium (quæ vocant Gesundheits-Trunck / rectius dices Kranheits-Trunck.) quæ ab unoquoque convivantium (si aliter nobile convivii membrum esse vult) exhaurienda sunt, quibus cor prioribus poculis jam gravatum tandem sepelitur. *Dies solennes tum Politici tum sacri. Illi,*

Illi, quibus Magiſtratus eliguntur, confirmantur, obedientia promittitur, grates dicuntur pro collato ingenti beneficio, natales celebrantur &c. Qui harum ſolennitatum ſcopus prætenditur, requirit utique ſobriam mentem. Sed adeo vulgare eſt, hos ſimilesque dies in intemperantia tranſigere ut plurimi opinentur ſolennitati haud ſatisfactum eſſe, niſi intemperantiæ ſatisfecerint. Habent quidem quod prætexant antiquum morem, ſed Ethnicum Gen. XL. 20. à Prophetis increpatum. Hoſ. VII. 5. quo fervidus ſervus Dei Johannes detruncabatur Matth. XIV. 6. 11. *Hi*, uti ſunt dies Dominici, feſta, dies baptiſmales, nuptiales, emortuales, dies, quibus paſtores cœtibus præficiuntur, Synodi aguntur, Doctores creantur. Intemperantiſſima hæc tempora eſſe, nemo, ſi vel vellet, negare poteſt. Qui per totam ſeptimanam ſobrii erant aut eſſe debebant, illi *diem Domini* (ac ſi eorum Dominus Bacchus & Ceres eſſet) in intemperantia conſumunt. Sed an hoc eſt quieſcere in Deo & quietem cœleſtem præfigurare? An hoc eſt feſtum celebrare cum panibus infermentatis ſinceritatis ac veritatis. Parentes, fidejuſſores coram Deo & cœtu promittunt, ſe mundo, Satanæ ac

carnis cupiditatibus renunciaturos atque etiam unitâ operâ liberos in sanctissima fide educaturos. Sed quid fit? Immersione infantis baptismali peractâ illi ipsi, qui sanctissimam vitam promittebant, immergunt se in voluptates. Conjugium res est his in terris maximè ardua: Typus habetur conjugii spiritualis Christum inter & Ecclesiam. Sed quàm stolidum ac peccaminosum est rem gravem intemperanti animo inchoare? castissimum amorem per intemperantem præfigurare? Presbyteros, quos primitivæ Ecclesiæ præfecerunt, præfecerant cum precibus & jejuniis Actor. XIV. 23. Hodiè sæpius cum lautis epulis.

XII. *Quam turpe crimen intemperantia sit, exinde constat: quia hominem in bestiam mutat.* Hinc intemperans in sacris sub bestiis iisque voracibus, sordidis, intemperantibus venit 2. Petr. II. 22. Dantur enim alia animalia casta atque temperatè cupida. *Quia dein noxia corpori, animæ, spiritui, opibus.* Intemperantia communis causa morborum, imò mortis: *Ense cadunt plurimi: Perimit sed crapula plures.* Debilitat quoque animæ vires, memoriam, judicium. Expellit Spiritum S. qui Spiritus continentiæ. Opes minuit, dilapidat. Intemperantiâ nihil

pre-

pretiosius. Brevi tempore devorat tantum, quantum pluribus per omnem vitam satis fuisset. *Quia porrò proximum infelicem reddit.* Si intemperans paterfamiliâs, familiæ non præest, bona ejus luxuriosè deglutit, liberos in paupertatem redigit. Intemperans quoque opes, quas ipsi DEUS dedit ad juvandum pauperes nefariò in proprium peccaminosum usum convertit. *Quia insuper natura voluptatum vana est & sine vera quiete.* Ab initio quidem multa & magna voluptates promittunt, sed exitus probat spem vanam esse. *Quia denique intemperantia maximum vero Christianismo obstaculum ponit.* Prima enim hominis Christiani lex est, se ipsum abnegare, crucem ferre. At intemperans hanc legem suscipere nequit. Et quid si propter Christianismum persecutiones ferendæ? certè animus mollis ad eas subeundum inidoneus est.

XIII. *Grave crimen jam is committit qui ipse intemperantiæ deditus est: gravius longè, qui aliis intemperantiam commendat, eos allicit vel etiam cogit ad luxuriam.* Tales vulgò sunt hospites, caupones, œnopolæ, ganeones, conviviorum præfecti: aut etiam convivæ, qui alios per nomina magna & chara ad intemperantiam trahunt. Hi damni,

quod

quod hinc in proximum cadit, auctores existunt. Et quanquam tales plurimum impuniti in foro soli dimittantur, in foro poli gravissimè punientur. Fures pœnas dant, qui alterum parte opum privant. At hi non solùm opes, sed & Spiritum, animam, corpus ejus lædunt, vel etiam omninò tollunt.

XIV. *Hæc generatim de intemperantia. Plura dici possent de speciebus intemperantiæ in amictu, domicilio, recreationibus, somno &c. Quando verò de quibusdam occasione superbiæ diximus, de aliis occasione laboris dicturi sumus. Nunc tantùm quædam de intemperantia in esu, potu & conjugio.*

XV. *Intemperantia in esu, quando quis cupiditate impellente edit, quod non edendum esset, aut plus, quam comedere deberet. Illud*: si cibus proximi, aut si meus quidem est, proximum verò offendit Rom. XIV. 21. vel si corpori noxius est atque assumtus dolorem, morbum adfert. *Hoc*: si quis nimio cibo intestina farcit. In Scriptura dicitur κραιπάλη *crapula* Luc. XXI. 34. κῶμος *comessatio*. Rom. XIII. 13.

XVI. *Voluptas est momentanea.* Quam diu cibus in ore & palato hæret, gratiam quandam carni dat: Sed in stomachum delatus

eam

eam amittit. *Voracitas grave quoque & somnolentum corpus reddit.* Unde qui ex nimia luxuria saginam corporis contraxerunt, sibi diu noctuque onus sunt. Anima plumbeo hoc corpori imperitare nequit, ut huc illuc se moveat ad functiones obeundum. Quis non molestam pœnam duceret, si à Magistratu condemnaretur ad truncum 30. aut 40. librarum toto tempore secum ferendum. At edaces se ipsos damnant ad gravius aliquando onus. ô molesta voluptas! *Voraces solent inciviles atque asperorum morum esse. Voracitas quoque animam aggravat* Luc. XXI. 34. qua inidonea est ad cœlestia cogitandum, pensitandum, amandum.

XVII. *Voracitatis comes bibacitas est; sive intemperans cupiditas hauriendi potum illicitum aut licitum quidem sed ultra modum.*

XVIII. *Habet hoc vitium præ priori, quod hominem fervidum agilemque reddat ad varia mala patranda.* Intemperantia in esu corpus magis aggravat redditque pigrum. Plenus potu inebriante expellit Spiritum sapientiæ, prudentiæ, timoris, modestiæ, amoris Eph. V. 18. 19. Hinc nunc ebrius inidoneus ad sapienter, prudenter, cum timore Numinis, modestè, amicè cogitandum, loquendum, agendum. Quare quæ loquitur ædificatione

tione destituta sunt, jocatur, ridet, clamat, secreta revelat. Et quia Spiritu timoris ebrius caret, à nullo scelere retrahitur, potius in scelera ruit, si modo occasio ea patrandi ad manus est. Litigat facilè ac pugnat cum proximo Prov. XXIII. 29. Obscœnos gestus ac voluptuosos amores præ se fert, testatur c. c. ℣. 33. Ut insanus in gyrum circumcurrit; Titubat in utrumque pedem: Allidit caput ad parietem: Sensibus privatus est: Non videt, non audit, non odoratur, non gustat nec palpat: Idolo similis est. Evomit canis, quæ ingurgitavit. Circumstantibus ludibrio est, qui, speciem hominis vident, quæ cerebrum non habet. Et quid si ejusmodi homo, dicam bestia, in ebrietate moritur, uti casus dantur? Qualis mortuus, talis resurget.

XIX. His duabus intemperantiæ speciebus addo tertiam impuritatem carnalem. In Scriptura vocatur ἀκαθαρσία Gal. V. 19. ἀκαθάρτης πορνείας *impuritas scortationis* Apoc. XVII. 4. ἀσέλγεια *lascivia* Gal. V. 19. πορνεία *scortatio*, μοιχεία *adulterium* loc. cit.

XX. *Impuritas hac* ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδιάς *intus ex corde venit.* Marc. VII. 21. 23. Si enim cor hominis purum est, objecta impuritatis externa nihil in illud valent. In corde impuro

puro oriuntur διαλογισμοὶ κακοὶ *cogitationes*, ratiocinationes *malæ* impuræ Marc. VII. 21. πάθη ἀτιμίας *passiones turpes*. Rom. I.26 *passiones concupiscentiæ*, 1. Thess. IV. 5. quæ ad concupiscendum irritant, provocant.

XXI. *Cor impurum impura emittit per os* loquendo turpia, putida, scortatoria Eph. V. 3.4. *per gestus* impurum animum detegendo. *Per actiones obscœnas*, denique *per vestitum*, *imagines*, *picturas*. Qui amant ejusmodi picturas obscœnas in pariete vel vase aliquo, illi easdem in phantasia amant.

XXII. *Famosiores species sunt scortatio*, *adulterium*, *incestus* : *Illa*, quando cœlebs cum cœlibe : *Istud*, quando cœlebs cum conjugata aut conjugatus cum conjugata : *Hic*, quando consanguineus cum consanguinea rem habet.

XXIII. *Impuritas carnalis etiam locum habet in conjugio aliàs legitimo.* Nec enim conjugibus licet frœnum cupiditatibus carnalibus mittere, prout illæ impetum faciunt. Aliàs ejusmodi conjugium ob impuritatem suam sancto Numini displicet & varia damna in familia concitat. At quam frequens opinio conjugium omnem amorem purum reddere?

XXIV. *Missis generalibus vitii hujus causis*, *quas-*

quasdam speciales promemus, quales sunt: *Familiaris & levis conversatio hominum, maximè juniorum, utriusque sexûs. Aliquando etiam solus aspectus.* Genes. XXXIV. 1. 2. 2.Sam. XI. 2. Uti stipula igni vicina facilè comburitur, sic amor impurus facillimè concipitur familiari utriusque sexûs conversatione. Conversatio & tum periculosa est, si ædificatio mutua quæritur: Magis, si lusus, joci, compotationes in tali societate aguntur. Quod igni excitando follis, id impuro amori memorata sunt. *Libri spurci* sive à spurcis Gentilibus sive à Christianis nomine talibus conscripti sint. Ineptissimè prætendi solet studium linguas earumque ornamenta, quæ in ejusmodi libris ornatiora habentur, addiscendi. Ornatus, qui inest, tanto magis inficit, allicit, excœcat legentium animos, maximè quia plurimum ejusmodi libelli à juventute alioquin ad libidines prona leguntur. Si quis verè linguas excolere constituit, an non alio eoque tutiori medio uti poterit? Et cui usui ejusmodi selectæ voces phrasesque, quæ sine pudore coram honestis auribus proferri nequeunt, quæque scortis propriæ sunt? *Impunitas maximè Ecclesiastica.* Scortatores nobiliores impuniti plerumque evadunt: Viliores

liores vilem pœnam subire coguntur. *Præjudicia.* Illam demum impuritatem peccaminosam esse, quam consistoria puniunt. In conjugio impuritatis crimen nullum committi posse &c.

XXV. *Quàm turpis sit omnis impuritas, maximè externa, scortatio & adulterium, constat variis ex argumentis.* *Primò* quia tanquam crimen Ethnicum in Scriptura notatur, 1. Thess. IV. 4. 5. quod inter Christianos nequidem nominandum, uti sanctos decet Eph. V. 3. Hæc quoque ratio, quare Apostoli toties vitium impuritatis increpaverint, ceu fugiendum proposuerint atque aliis sceleribus præposuerint. Marc. VII. 21. Gal. V. 19. Primi enim Christiani magnam partem ex gentilismo ortum trahebant, in quo carnalem impuritatem crimen quoddam esse ignorabant aut ignorare volebant. Unde Patres in concilio Hierosolymitano inter res necessarias fugam scortationis statuerant. Actor. XV. 28. 29. *Secundò* quia cupiditas carnis & amor DEI in uno subjecto consistere nequeunt. 1. Joh. II. 15. 16. *Tertiò* quia hominem polluit Marc. VII. 21. 23. Hinc eum à communione DEI arcet. Nam *quartò* impurus impuras cogitationes & libidines intus fovet, eas secum fert, quocunque it &

quodcunque agit. Si cum proximo conversatur, agit, inter loquendum de objecto impuro cogitat. Imò & tum, si precatur, scripturam legit, audit, mens non libera est ab impuris objectis internaque scortatione. Unde colligi potest, quam adversus impuri cultus DEO sanctissimo sit. *Quintò* homini adimit cor eumque in brutum convertit. Hos. IV. 11. Cor, quod destinatum ut in eo habitet Spiritus S., evadit domicilium impurorum Spirituum. *Sextò* in scortatione & adulterio corpus, quod Domino sacrum, consecratur *πορνείᾳ scortationi:* Membrum JEsu Christi fit membrum scorti: Adhærens scorto fit unum corpus cum eo 1. Cor. VI. 13. 15. 16. *Septimò* plura alia vitia secum trahit impuritas, maximè externa & consummata. Impurus scortator, adulter abstrahitur à DEO & cultu ejus, huic vacare nec potest, nec vult. Aliquando etiam externum religionis cultum mutat; id quod ex Salomonis exemplo constat. Injustus est erga proximum, quem sceleri implicat. Quando enim alia scelera ab uno patrari possunt, scortatio & adulterium nequit. Adulter fidem uxori datam fœdè violat, æterna odia serit, fœtum alii malitiosè supponit, atque injustissimè vult, ut liberi in

impu-

impuritate concepti ab alio educentur: Scortatio & adulterium facilè pariunt homicidium tum partûs tum aliorûm rivalium aut æmulorum. Liberi à scortis nati negliguntur, sine educatione & admonitione Domini succrescunt, Parentes subinde ignorant, hinc nulla officia iis exhibere queunt. Nihil communius quam infidelitas, fraus, mendacium, falsum juramentum in scortatione. Et quum videri queat tenax inter impuros amor, facillimè tamen in fastidium, sævitiam abit, sicuti Amnon exemplo suo docet 2. Sam. XIII. 15. *Tandem* ex se gignit varia damna. Scortatoris cor irrequietum est tum quia impuro amore scorto alligatum (cui tamen pro libidine semper satisfacere nequit) tum quia jugi metu cruciatur, crimen publicatum iri. Paupertas quoque comes imo proles vitæ scortatoriæ est. Nam *sine Cerere & Baccho friget venus.* & Prov. VI. 26. *Propter mulierem meretricem* (devenitur) *usque ad frustum panis.* Ne dicam de aliis pœnis, quas subinde DEUS multo numero ac forti manu in ejusmodi peccatores animadvertit, sicuti videmus in Davide. *Ultimò* excludit à cœlo. Qui hæc (impuritatem, scortationem, adulterium) patrant, Regnum DEI non hæreditabunt Gal. V. 19. 21.

XXVI. *Intemperantiæ succedit temperantia cupiditatum.* Quia enim cupiditates naturales sunt atque faciunt ad conservationem corporis, illæ in se malæ non sunt. Hinc ipse Christus esuriebat, sitiebat Matth. IV. 2. Joh. XIX. 18. Itaque solùm requiritur, ut cupiditates temperentur.

XXVII. *Temperantur autem in genere cupiditates*, si illicita & vetita objecta cupiditatibus prorsus denegantur: Si licita appetuntur sed debito modo. Debitus modus hic est: Bona illa, quæ appetuntur, quæque appetentis sunt, eâ mensura assumenda, quæ neque corporis sanitatem, neque mentis Spiritusque operationes neque familiæ statum aut curam pro pauperibus lædunt vel aliis offendiculum præbent.

XXVIII. *Temperator, rector & domitor cupiditatum est ipse Spiritus S. in homine.* Est enim Spiritûs opus concupiscere adversus carnem Gal. V. 17. corporis actiones mortificare Rom. VIII. 13. Atque id clarum. Caro enim propendet in blanda & grata objecta. Lex extra hominem nihil facit ad temperantiam, imò caro tantò magis occasionem sumit appetendi ea, quæ lex damnat, aut aversandi, quæ lex jubet Rom. VII. 5. 8. 9. 11. Unde intemperantissimi aliquando sunt, qui tem-

temperantiæ leges multo numero nôrunt. Temperantia, quæ ortum trahit à metu hominum, impotentia, aut ſimili cauſa veri nominis temperantia non eſt.

XXIX. *Hic verò Spiritus in homine caſtigat, mortificat, informat, dirigit cupiditatem ad rectum finem. Caſtigat*, quando hominem propendentem ad voluptates jugiter increpat, monet, ut temperanter vivat: aut accuſat illum, qui malæ cupiditati ſatisfecit tanquam libidinoſum, amatorem mundi, indignum puro DEI amore. Tit. II. 11. 12. *Mortificat* porrò, nam *qui Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem cum paſſionibus & concupiſcentiis* Gal. V. 25. & hoc quidem agunt per Spiritum Rom. VIII. 13. Spiritus enim pro ingenti & divina vi, quâ pollet, ſemper inſurgit adverſus carnem ejusque motus. Jam præcipit, ut oculi claudantur, ſi amabilia iis proponuntur &c. Concupiſcenti carni denegat res volitas. Quoniam verò carnis vigor & vita in ejusmodi bonis exiſtit, languescit, ægrotat, moritur, ſi homo fidus eſt Spiritûs S. imperio. Etiam *docet* quænam fugienda, quænam agenda, de quibus mox infra. *Dirigit ad rectum finem*, qui eſt DEUM glorificare, corpus conſervare, mentem quoque excitare.

XXX. *Temperantiæ studiosis fugienda sunt cuncta, quæ temperantiæ obstant, ad intemperantiam movent, ducunt, trahunt*, de quibus supra. Rectissimè itaque unusquisque sedulus sui observator agit, si ea probè notat, quæ ipsum à temperantia abstrahunt. Talia sunt *convivia sive ordinaria sive extraordinaria*, quæ sine DEO inchoantur & finiuntur: quando inter convivandum sermones leves, scurriles, incitatorii ad intemperantiam ducuntur. Tales mensæ vel prorsus deserendæ sunt, vel, ubi fieri nequit, non communicandum cum convivarum peccatis *Solennitates Politicæ & sacræ.* Etiam hæ vel prorsus intermittendæ sunt vel prudenter & temperanter referendæ ad usum, ad quem institutæ. *Corpus & mens, ubi periculum, claudenda sunt*, ne cupiditas in nobis oriatur, foveatur, in actum deducatur. Corporis fores sunt sensus, qui objecta grata recipiunt, animæ proponunt, hinc cupiditatem excitant. Mens clauditur, quando firmiter constituit nullas admittere ratiunculas intemperantiam commendantes. *Tales sunt* (a) *comessando, compotando acquiri, conservari & augeri amicitias.* Sed talis amicitia amicitiæ nomen non meretur. Est enim inimicitia adversus DEUM.

Est

Eſt etiam inimica amicitia, qua unus alterum privat opibus, ſanitate corporis & mentis. Hinc tandem in apertam inimicitiam communiter abit. (b) *Spiritum hominis excitari, recreari.* Excitatur quidem Spiritus carnis, ſed non DEI Eph. V. 18. Et quæ eſt illa recreatio, ſi riſus, clamores, ſaltus audiuntur, aguntur? certe gaudium hoc inſanientium eſt Eccleſ. II. 2. (c) *Solicitudines abigi, quæ aliàs hominem cruciant.* Quanquam intemperantiâ ſolicitudines ad tempus abigantur, illæ tamen denuò revertuntur, & tumquidem moleſtiores. Solicitudo illa vel animam vel corpus concernit. Solicitudo animæ per intemperantiam ritè adimi nequit, vel an vinum liberalius hauſtum mentem de gratia DEI certam facere poteſt? Si corpus & bona concernit, etiam hæc ſolicitudo tolli nequit. Vel finge hominem alteri debere 1000. Florenos, atque eum de ſolutione ſolicitum eſſe: Quid putas, an intemperans factus creditori ſatisfecit? (d) *Homines temperantiæ deditos malè in mundo audire. Benè verò, qui ſocietatem exhilarare queunt.* Mala fama apud homines malos documentum eſt bonæ apud bonos. Mala fama apud mundanos nos Chriſto pares atque felices reddit. 1. Petr. IV. 14. Ex adverſo

qui vult in mundo celeber esse, is famosus apud DEUM & JESUM Christum, sanctos angelos & populum DEI. (c) *Intemperantiæ voluptatem inesse.* Sed qualis? Bestialis. Quamdiu? Per momentum. Intemperantia læta venire, tristis abire solet. *Fugiendæ speciatim illæ intemperantiæ, quæ propriæ sunt certis hominum statibus, generi vitæ, sexui, ætati.* Hinc Paulus ad Timotheum juvenem scribit: Fuge τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας *cupiditates juveniles.* 2. Tim. II. 22. *Ultimò verus temperantiæ studiosus non solùm abstinet ab illicitis sed etiam aliquando à licitis objectis.* Hâc enim ratione temperantia in tuto erit.

XXXI. *Fugienda quoad esum & potum sunt.* 1. *Copia.* 2. *Selectus ciborum & vinorum delicatorũ.* Quemadmodum ficibus, potus ordinarius, vulgaris nauseæ est, uti olim Manna Israëlitis. 3. *Famelica voratio,* quâ magna ciborum frusta vix dentibus subjecta celeriter absorbentur. Est enim indecora & noxia. 4. *Esitare* sive certa edendi tempora non observare, sed quando cupiditas impellit, illi satisfacere.

XXXII. *Fugienda quoad impuritatem carnalem sunt.* 1. *Intemperantia in esu & potu.* Corpus enim saginatum propendet ad impuritatem. At sine Cerere & Baccho friget venus. 2. *Obscæna cogitata & phantasiæ.* Quam-

Quamprimum talia in nobis surgere volunt aut actu surgunt, mox reprimenda. Aliàs ignis internus, isque exiguus facilè in flammam abit, rumpitque. 3 *Sub nullo prætextu de amoribus carnalibus sermones serendi aut audiendi sunt*, multo minus, ut quis ex iis voluptatem capiat. 4. *Cælibes evitent loca publica* frequentiâ hominum inclyta, maximè in quibus joci, comœdiæ &c. aguntur. Dina foràs prodiens visura filias terræ castitatem suam amisit, quam non amisisset manens intra tentorium Patris. Hinc veteribus virgines עלמות *inclusa* dicebantur, nam domi latebant. 5 *Viduæ obliviscantur amorum, quos conjugatæ habuerant.* 6. *Conjuges evitent inverecundam conversationem.* Cohabitent non capiendæ voluptatis gratiâ, sed habita ad finem conjugii ratione.

XXXIII. *Hæc fugienda: Observanda verò sunt cuncta, quæ abstrahunt ab intemperantia, commendant, juvant, promovent temperantiam cupiditatum.* Sunt autem hæc. I. *Intensa ad integra precatio ad DEUM temperantiæ præceptorem*, ut qui tale præceptum dedit, det simul Spiritum & vires ad illud explendum. Nec dubitandum, quin Spiritus S. rectè petentibus auxilio futurus, qui à Spiritu intemperantiæ impugnantur. Sic David

 Psalm.

Psalm. CXIX. 36. 37. II. *Meditatio perfectionum divinarum, maximè ſpiritualitatis, omnipræſentiæ, omniſcientiæ, ſanctitatis, juſtitiæ.* Homo, qui progenies DEI, ad virtutes divinas aſpirare debet. At verò intemperantia beſtiarum eſt. DEUS eſt Spiritus. Et noſtrum eſt ſecundum Spiritum ambulare, atque Spiritu adverſus carnem concupiſcere. DEUS eſt omniſcius ac omnipræſens. Quando verò intemperans fugit à conſpectu viri gravis, quantò magis eum pudet intemperantiæ vacare coram DEO? DEUS quoque ſanctus ac purus. Intemperans & corpore & mente impurus, adeoque in communione DEI eſſe nequit. Juſtus DEUS maximè in intemperantes animadvertit, ſicuti nos duo præ aliis exempiaria judicia, diluvium & interitus Sodomæ, docent. III. *Nôſſe finem cupiditatum, quem Natura inſtituit, atque ad illum contendere.* Finis eſt edere & bibere, ut vita naturalis conſervetur, atque homo aptus ſit ad functiones ſuas ritè obeundum: ut interea Spiritus commodum habeat domicilium DEUM colendi. At verò intemperantia vitam naturalem lædit, tollit: Homo quoque inidoneus redditur ad domeſticas & publicas functiones. In corpore intemperantiæ dedito Spiritus bonus

nus habitare & operari nequit. IV. *Severius vitæ genus* contentum paucis, vilibus rebus, adversum mollitiei, superbiæ. V. *Constans labor*, quo homo semper exercetur. VI. *Perfectior intemperantiæ investigatio.* Intemperantia æstimari & laudari solet ab iis, qui eam imperfectè norunt. Solent enim eam ab una tantùm parte considerare, & ea, quæ momentaneam voluptatem adfert, non verò ab altera, quæ mansurum dolorem parit. VII. *Observanda sunt initia intemperantiæ atque mox opprimenda.* Ignis exiguus facilè extinguitur. Non item, qui in flammam abiit. Consultum est, exordientem intemperantiam prodeundo in conspectum hominum auctoritate ac sanctitate gravium abigere. VIII. *Cupiditas, quæ in nobis, referenda est ad objecta contraria, spiritualia, divina, amabiliora.* Referri verò nequit, nisi hæc cognoscantur. IX. *Exempla eorum, qui à temperantia commendati sunt.* Hi sunt duplicis generis. Quidam prius intemperantiæ dediti, postea temperantes evaserunt, uti Salomo in Ecclesiaste. Alii temperantiæ se dabant à prima ætate, uti Salvator. Solemus expertis credere. Credamus illis, qui de præclaris temperantiæ fructibus narrant, qui quoque per omnia intemperantiæ genera percurrerunt,

sed

sed non nisi vanitatem, Spiritûs vexationem aliaque dolorosa & noxia viderunt ac experti sunt.

XXXIV. *Quoad esum & potum speciatim observanda sunt.* 1. *Diæta constitutioni corporis accommodata.* Homines ad unam aliquam legem circa esum & potum adstringi nequeunt, & quidem ob varias causas. Generales bonæ Diætæ leges sunt: abstinere ab omni victu noxio: Non ad plenam satietatem edere aut bibere. 2. *Animum contentum habere quovis cibo, quem provida DEI manu consequimur.* Etiam ille, qui vilior, beneficium Numinis est, idque immeritum. 3. *Edere & bibere ad gloriam DEI.* 1. Cor. X, 31. Edimus verò & bibimus ad gloriam DEI, si edentes & bibentes agnoscimus imperfectam & indigam naturam nostram: Si omnipotentiam & gratiam DEI admiramur & extollimus.: si panem contemplamur tanquam per se inidoneum ad vitam nostram conservandam, si itaque verbum DEI potens cum pane conjunctum imploramus: Si convivia nostra inchoamus & finimus precibus; Si inter edendum mentes nostras meditationibus & discursibus spiritualibus pascimus: Si cibum potumque tanquam picturam cibi spiritualis menti proponimus: Si

con-

convivantes optant, quærunt, ut eodem Spiritu agantur, uti pascuntur eodem cibo. 4. *Pensitare secum, quot alii consanguinei, creaturæ DEI famè vel siti premantur.* Talis cogitatio intentior valdè retrahet ab intemperantia.

XXXV. *Quoad castitatem observanda sunt.* 1. *Excellentia castitatis*, qua nihil purius. Purissima autem solicitâ curâ ab impuro præservanda sunt. Musca optimum unguentum perdit. Quare castitas solicitè custodienda est intus & extus: Fores pessulo muniendæ adversus fures castitatis. In mente divina, spiritualia volvenda: Ore casta, ædificatoria, necessaria proferenda sunt. 2. *Cælibes lateant aut conversentur cum castis, auctoritate, sanctitate conspicuis, sui sexûs hominibus.* Sponsum eligant DEUM, JESUM Christum, in quem amores suos effundant. Exempla sibi proponant Mariam, Paulum, tot alias castas, angelicas mentes. 3. *Qui sibi donum continentiæ deesse experiuntur, legitimum contrahant conjugium.* Nam etiam ad scortationem evitandam ordinatum est conjugium 1. Cor. VII. 2. 4. *Viduæ sperent in DEUM* ac precibus diu noctuque vacent. 1. Timoth. V. 5. 5. *Qui uxores habent, sint*

ac

ac si non haberent 1. Cor. VII. 29. sive animum iis alligatum non teneant.

XXXVI. *Habet studium temperantiæ suos gradus.* Quales sunt: א. *Integrum propositum omnem intemperantiam fugiendi, temperantiam verò persequendi.* ב. *Lucta adversus intemperantiam* sive sponte intra hominem ortam, sive objectis externis, persuasionibus excitatam. *conatus verò ad temperanter vivendum.* ג. *Incrementum in studio temperantiæ.* Nam quum ab initio temperantiæ studiosus magis fugiat objecta illicita, prohibita & quidem cum quadam animi ægritudine, subsequente tempore animo lubente etiam abhorret non solùm ab illicitis, sed & à quibusdam licitis, ut tantò minus illicita cupiat. Contentus est cibo, potu, amictu tenui, vili, parco. ד. *Fervidum ac frequens desiderium rerum spiritualium,* cum quibus res terrestres comparatæ nullo pretio habentur, hinc non desiderantur, imò fastidiuntur, si cupiditatem bonorum spiritualium impediunt, lædunt. Talis animæ gratissimus cibus est, facere voluntatem DEI, cibari pane, qui mundo vitam dat. Gratissimum ei est, potari aquâ cœlesti, vino Spiritûs S. vestiri vestibus salutis & pallio justitiæ, puro amore complecti sponsum JEsum Christum.

XXXVII.

XXXVII. *Ut huic virtuti vacemus, moveant nos.* I. *Voluntas DEI. Hoc est voluntas DEI, sanctificatio vestra* (atque) *abstineatis à scortatione,* (ut) *sciat unusquisque vestrûm proprium vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione concupiscentiæ, quemadmodum gentes, quæ DEUM non nôrunt* 1. Theff. IV. 3-6. *Apparuit gratia DEI salutaris omnibus hominibus, castigans nos, ut abnegemus mundanas concupiscentias & σωφρόνως temperanter vivamus.* Tit. II. 11. 12. *Non hominum concupiscentiis, sed voluntati DEI reliquum in carne tempus vivendum est. Sufficit enim nobis, præteritum vitæ tempus voluntatem Gentium perfecisse, dum ivimus in concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus.* 1. Petr. IV. 2. 3.

XXXVIII. II. *Natura & ratio animæ, corporis, familiæ, proximi, maximè pauperis.* Uti anima intemperantiâ negligitur, aggravatur, carnalis fit, sic temperantiæ studio coli, elevari Spiritu S. perfici potest Eph. V. 18. Corpus est templum Spiritus S. Membrum JESU Christi. Vas ad gloriam DEI: Corpus itaque ita habendum est, ut Spiritus S. in eo habitare, cum Christo conjungi, & DEUM glorificare queat. Corpus verò comessationi, scortationi sacrum sanctis illis usibus consecrari & dari nequit. Vel an Spiritus S.

in

in illo corpore habitare ac operari potest, quod vino plenum, cibo fartum, scorto conjunctum? Temperans familiæ suæ prospicere valet, nam sobria fruitur mente. Ille quoque paucis contentus. Hinc habet, quod eroget pauperi aut aliàs proximum consilio & facto juvare queat. Divinum hunc characterem virtutibus impressit omnis sanctitatis Auctor, ut ad omnia utiles sint, atque ideo sapientes & prudentes virtutibus se dent.

XXXIX. III. *Hodierna tempora.* Nullo non tempore temperantiæ studendum, illo tamen maximè, quo invalescentibus peccatis judicia DEI indies propius instant, ne intemperantiâ graves dies Domini subito superveniat Luc. XXI. 34. Tantò magis, quoniam tempus judicii simile futurum illi, quo primi mundi ac Sodomæ incolæ cœlesti plagâ peribant. Luc. XVII. 26. 27.

XL. IV. *Omnibus quidem Christianis incumbit intemperantiam fugere, temperantiam verò colere* Rom. XIII. 12 - fin. Tit. II. 11. 12. *Sed maximè pastoribus.* Hinc Paulus eorum requisita tradens ait, oportet Episcopus sit *sobrius, temperans, vino non deditus, sanctus, castus.* 1. Timoth. III. 2. 3. Tit. I. 7. 8.

XLI. V. *Nasiræi, qui se tempore Nasiræatûs à vino*

à vino continebant: Sacerdotes, quibus quoque vini usus tempore functionis publicæ prohibitus erat. Hi typi docent spirituales Nasiræos & Sacerdotes vitam sobriam ducere debere. Juvabit etiam Danielis ac sociorum ejus victum semel ac iterum legere unà cum maximis profectibus in cognitione DEI. Dan. I. 12. 16. 17. 20.




CAPUT XIX.

De

Assiduitate.

Σύνοψις.

His opponitur labes Christianus. §. *XV.*
Qui vel communis. §. *XVI. XVII.*
Cujus Characteres. §. *XVIII.*
Requisita. §. *XIX.*
Vel sacer. §. *XX.*
Utrimque laboris unum idemque subjectum capax est. §. *XXI.*
Homo naturâ ad Christianum laborem inidoneus est. §. *XXII.*
Fit vero idoneus per DEUM. §. *XXIII.*
Media sunt tria (a) *prajudiciis valedicere* (b) *Diata studere* (c) *à Juventute labori assuescere.* §. *XXIV.*
Motiva verò sequentia.
I. *Mandatum* DEI. §. *XXV.*
II. *Natura terra.* §. *XXVI.*
III. *Natura humana.* §. *XXVII.*
IV. *Commodū.* §. *XXVIII.*



§. I.

A*ssiduitati laboris Christiani duo opposita sunt: Otium & peccaminosus labor.*

II. I. *Otium.* Creator rerum nostrarum statum ita instituit, ut ille operâ creaturarum coleretur ac perficeretur. Hinc quoque creaturis, hominibus speciatim, aptitudinem, robur, sapientiam concessit, ad naturam colendum, perficiendum, unde varius in operantes usus oritur. Piger verò huic Numinis ordinationi se subtrahit, ἀτακτεῖ, aptitudinem, robur, sapientiam, quam à Creatore accepit, negligit, defodit.

III. *Piger*

III. *Piger gravi & somnolento corpore est.* Hinc ipsi membrorum motus difficilis & molestus. Opus, quod ipsi peragendum, tanquam spinosum metuit, ne mollem cutem suam tangat, lædat. *Via pigri est tanquam sepes spinosa* Prov. XV. 19. Eligit igitur mollem lectum, in quo tanquam in elemento suo huc illuc se movet, uti *fores vertuntur in cardine suo* Prov. XXVI. 14. si alii ipsum ex gravi veterno excitare volunt: *Usque quo piger jacebis* in molli lecto? *Quando surges à somno tuo?* respondet. *Parùm somnorum, parùm dormitationum: parùm complicationis manuum ad dormiendum.* Prov. VI. 10. semper renuit pigritiæ valedicere.

IV. *Piger opus suum non aut non rectè intelligit.* Nam quum exercitium magistrum faciat, ille se non exercet, hinc in opere semper rudis existit. Solet quoque DEUS talentum concreditum auferre, si illud sepelitur.

V. *Piger commodas occasiones, temporaque opportuna non observat.* Unde, quanquam postea laborem aliquem suscipere vult, *post est occasio calva* atque tempus opportunum transiit. Dormit tempore sementis & messis, Prov. X. 5.

VI. Piger prout vel magis vel minus pi-

gritiâ laborat vel graviorem tantùm eumque publicum laborem intermittit, ægre verò agit levem, necessarium, sibi utilem, vel ab omni, etiam necessario, sibi utili ac reficiente abstinet. *Piger abscondit manum suam in patina, ne ad os quidem suum retrahet eam* Prov. XIX. 24. quibus verbis summus torpor exprimitur. Qui enim in labore aliâs pigri sunt, non tamen in cibo sumendo.

VII. *Prout labos variat, sic otium. Commode tamen dispescitur in privatum, publicum, sacrum. Illud*, quando v. gr. pater familiâs laborem, quem in bonum familiæ subire deberet, omittit. *Istud*, quando persona publica, sive Politica sive Ecclesiastica functionibus suis non, aut saltem perfunctoriè, defungitur. *Hoc*, quando nulla animæ cura nec labos pro illa suscipitur. Memoratæ hæ otii species sæpius conjunctæ sunt. Qui turpi otio in functionibus domesticis atque muneribus publicis diffluunt, illi quoque salutis rationem & laborem non habent, obeunt.

VIII. *Indagantes in otium reperiemus, præter communes causas, has speciales.* I. *Præjudicia.* Laborem incumbere pauperibus, inferioris conditionis hominibus, rusticis veluti & artificibus. At divites in eminentia consti-

tutos

tutos *privilegiatos* esse à laboribus. Hæc superba cogitata imis divitum medullis infixa sunt: Hinc arbitrantur stolidè illos sentire, qui se non minus ac tenuioris sortis homines ad labores obstrictos existimant. II. *Mollitiem corporis, metum gravioris laboris, periculi.* Solet labos corpus humanum defatigare, molliores ejus partes pungere. Qui vero molliter educatus est, laborem aversatur, fugit, *propter hyemem*, frigus, *piger non arat.* Prov. XX. 4. *dicit piger: Leo foris est: In medio platearum occidor.* l. c. XXII. 13. XXVI. 13. III. *Voracitatem.* Copiosus enim cibus solet corpus aggravare, hinc ad operandum inidoneum reddere. Somnum quoque inducit. IV. *Vitam otiosam.* Uti naturaliter homo hominem generat, sic pigritia pigritiam. Qui ad tempus otio deditus, ille in posterum vitam eandem ducet. *Pigritia facit obrui sopore.* Prov. XIX. 15.

IX. *Quam turpe otium sit, partim ex dictis, partim ex dicendis constat. Otium enim est vitæ genus ordini, quem* sapientissimus Creator posuit, *contrarium.* Unde otiosus *ἀτάκτως inordinatè* ambulare dicitur. 2. Thess. III. 11. *Quantum penes otiosum natura ita constituta, ut nunc est, diu subsistere non posset.* Homines fame, siti, penuriâ variâ preme-

 rentur.

rentur. *Otiosus & sibi & aliis molestus est. Aliis*, illis maximè, qui otiosi operâ uti volunt. Nihil enim agit: Officia sibi commissa negligit. *Sicut acetum dentibus & fumus oculis, sic est piger mittentibus illum.* Prov. X. 26. *Sibi:* Corpus otiosi in plumbi naturam abit, hinc sibi onus est: Pigrescit quoque Spiritus & vigorem ac agilitatem amittit. *Pigritia ad paupertatem redigit.* Piger enim nihil agit & tamen plurimùm præ laborioso variis cupiditatibus inhiat, indulget. *Hinc frater est auctoris perdentis*, dilapidantis omnia Prov. XVIII. 9. *Propter hyemem piger non arat*, (unde) *mendicabit in messe* (seu) *nihil erit* Prov. XX. 4. *Veniet, sicut viator, paupertas tua, & egestas tua sicut vir scuti* sensim & certò. Piger paupertatem non effugiet aut repellet conf. Prov. XXIV. 30. 31. 32. Non quidem vota pigri desunt, sed illa sine successu, imo *desiderium pigri interficiet ipsum.* Prov. XXI. 25. & contundetur. X. 5. *Piger mortuo proximus.* Et quanquam strenuum pluribus annis vivendo superet, strenuus tamen diutius vivit. *Pigrum denique tota natura semper laboriosa confundit*, speciatim formica. Unde Salomo otii juratus hostis. *Abi ad formicam, piger, vide vias ejus & sape.* Prov. VI. 6.

x. II. *Inanis, peccaminosus labor.* Piger peccat nil agendo. Sed περίεργος curiosa, inania, ludicra, peccaminosa. Uterque peccat contra assiduitatem laboris Christiani.

xi. *Huc pertinent joculatores, Comœdi* privati & publici, docti ac indocti, qui jocos, figmenta ludicra, satyrica magno studio & opera excogitant, conscribunt, recitant, ut alios exhilarent, traducant, famam ingeniosi sannionis aut ejus commodum consequantur. Tales enim ad seria & gravia Christianorum officia & ipsi inepti atque alios, quantum penes se, ineptos reddunt. DEUM sibi præsentem cogitare nequeunt, quod laboris malitiam docet. Contemtum, invidiam aliosque affectus producunt. Nec eximendi sunt, qui graves divinas Historias Majestate ac terrore plenas ludunt, DEUM ac Dominum nostrum JESUM Christum sub vilissimis ac profligatæ nequitiæ hominibus sistunt, atque intuentium animos ludicra præsentatione leves reddunt.

xii. *Dein summè laboriosi operarii, qui verè omnem operam unicè in proprium usum agunt.* Reperiuntur homines, qui à multo mane ad seram noctem in laborando defatigantur, quorum tamen labos Christianus non est. Nam quod agunt, non agunt ex obe-

 dientia

dientia erga voluntatem DEI sed ex avaritia, amore pecuniæ, sine amore proximi: Negligunt curam & laborem pro anima.

XIII. *Insuper omnes illi, qui in rebus Religionis multas molestias subeunt, sed non ex DEO, imò contra DEUM.* Aliquando operosissima est ἐθελοθρησκεία falsorum cultorum. Attamen omnis hæc θρησκεία μάταιος. *Religio vana est* Jac. I. 26. 1. Petr. I. 18. atque ματαιολόγοι *vaniloqui sunt* doctores Tit. I. 10. nam quanquam per longum tempus atque elata voce Auditores informare contendant, nullum exinde fructum habent: Nemo Auditorum sapiens fit.

XIV. *Denique qui operâ & vitæ suæ genere fovent, promovent carnales ac mundanas hominum cupiditates.* Eximimus illos, qui necessitati ac utilitati hominum inserviunt. At priorum labos peccaminosus est, qui cupiditate lucri rapti nullum non laborem molestum, nocturnum, periculosum ferunt, ut voluptuosorum cupiditates explere queant.

XV. ***His vitiis opponitur labos, isque Christianus.***

XVI. ***Labos Christianus est vel communis vel sacer.***

XVII. ***Labos Christianus communis est, qui*** ***circa***

circa res hujus mundi, agros veluti, recto animo fertur.

XVIII. *Fertur autem recto animo*, quando operarius intendit glorificationem DEI. 1. Cor. X. 31. labori se subjicit tanquam divinitus præcepto filiis Adæ Gen. III. 19. laborando non solùm suum ac suorum usum quærit, sed & proximi, maximè pauperis, infirmi Eph. IV. 28. Atque hic animus laborem Christianum à gentili distinguit.

XIX. *Labor requiritur sedulus*, diligens, agilis: *Prudens* quoque, qui recto ac commodo tempore suscipitur. Majoris momenti labos præfertur minori, sacer communi: Etiam *constans ac fortis*, quo difficultates vincuntur. Filiis Adæ labos ad sudorem faciei usque incumbit Gen. III. 19. Exemplum prostat in Jacobo.

XX. *Labos sacer est, qui circa animam vel propriam vel proximi fertur* Matth. XI. 28. Gal. IV. 11. 1. Timoth. V. 17. Hic illo excellentior, quod tum objectum, tum etiam fructus docet. Quanquam labos sacer inexpertis videatur facilis, est tamen valdè operosus, imò operosior communi.

XXI. *Uterque labos, communis & sacer, benè in uno subjecto morari atque etiam simul exerceri possunt, ubi ratio poscit.* Docet id

utriusque laboris natura atque exemplum Pauli 1. Cor. IV. 12. Actor. XVIII. 3. XX. 10. Attamen aliquando uterque agi nequit & tum communis ſacro cedit.

XXII. *Naturâ quidem omnem laborem fugimus, amamus verò otium. Sed ad Chriſtianum laborem prorſus inidonei ſumus.* Chriſtianus enim labos conſiſtit in difficili certamine adverſus ſe ipſum, carnem ejusque concupiſcentias, corruptam rationem, mundum, ſatanam. Conſiſtit porrò in tot adverſitatibus, quas DEUS immittit, ferendis: Conſiſtit inſuper in variis perpetuisque gravibus functionibus, fide, ſpe ac charitate, Matth. XI. 28. 1. Theſſ. I. 3. Hebr. VI. 10. Apoc. II. 2. Nemo vero ad ejusmodi labores naturâ pronus, multo minus aptus eſt.

XXIII. *Qui itaque tales labores ſubit, ſubire debet* ἐν κυρίῳ. *in domino.* Rom. XVI. 12. Non tam ille laborat, quam gratia DEI. 1. Cor. XV. 10. ſpiritus δυνάμεως *potentiæ,* qui ipſi datus ad pugnandum, vincendum ferendum, proferendum fidem, ſpem & charitatem.

XXIV. *Officium hoc præſtiturus valedicat præjudiciis,* quæ otium commendant aut permittunt, *illi ſpeciatim: Chriſtianos à labore manuum liberos eſſe: Habere illos excellentio-*

rem

rem laborem, quam ut terrestri exerceantur: Benignum DEUM suis liberaliter prospicere & in eorum gratiam divitem messem dare. Facilè carnis pigritia est, quæ ejusmodi cogitata suggerit atque tanto magis fugienda, quo facilius se insinuat atque exosum nomen cultoribus pietatis allinit. Hinc cultor pietatis homo otiosus & cultura pietatis amore otii electa dicitur: *Studeat diata ac benè ordinato vivendi generi.* Corpus enim, quod modicum cibum assumit, agile est & aptum ad laborandum. *Plurimùm huc facit bona educatio.* Qui enim primis vitæ annis mollius habiti sunt & vitam solutam, otio deditam duxerunt, illi accrescente ætate ad laborandum plurimum inidonei sunt: Idonei verò, quorum membra à prima juventute ad operandum assuefacta sunt.

XXV. *Moveatur argumentis, quorum quædam notabimus. Ex his primum mandatum DEI omnibus, speciatim Christianis, datum.* Gen. III. 19. *In sudore faciei tuæ comedes panem tuum.* Uti enim alia, quæ ibi ad Adamum dicta sunt, simul concernunt ejus filios, sic etiam hæc verba. Adeoque posteri Adami, maximè post peccatum, tenentur ad laborem eumque molestum, ut eo victum sibi parent. *Piger*, quisquis talis est, *abi ad formicam & intu-*

intuere vias ejus ac sapiens esto ignaviam fugiendo Prov. VI. 6. Ordinatione divina singulæ Israëlitarum familiæ agros & vineas sorte accipiebant, quas colere debebant: Quo ipso DEUS docuit velle se populum circa honestum laborem occupatum habere. Ex parte eximebantur Levitæ & Sacerdotes, quibus minor terræ pars hinc quoque minor labos manuarius assignabatur. Ordinationem hanc leges Christianis datæ confirmant, uti plenius cernere licet ex 2. Thess. III. Erant ex Thessalonicensibus, qui inordinate vixerant, *nihil operantes sed variè satagentes. Talibus Paulus præcipit & hortatur eos per dominum nostrum JESUM Christum, ut in quiete operantes suum ipsorum panem comedant.* ℣. 11. 12. Cum hac æquissima sed otiosis acerba regula: *si quis non vult operari, ille etiam non comedat.* ℣. 10. Imò communione Christiana excludendi dicuntur, qui huic ordinationi obsequi nolunt. ℣. 14.

XXVI. *Alterum ipsa natura terræ*: Hæc ita, maximè post peccatum, comparata est, ut operam nostram poscat. Vel an frumentum, vinum, sine opera humana proveniunt? Terra spinis oblita esset, nisi per homines evellerentur. Potuisset quidem DEUS

Natu-

Naturam aliter ordinare sed noluit. Imò studio ad tristem peccati Naturam terræ incolas docendum terræ maledixit. Quando verò terra ita comparata, DEUS naturaliter nos docet, velle se, ut victum manibus nostris acquiramus.

XXVII. *Tertium Natura humana:* Hanc instruxit Creator iis dotibus, quæ ad varios magnosque labores ferendum aptæ sunt aut saltem aptari queunt. Hominibus enim dedit robur atque docilia membra ad varia agenda, formanda. Sapiens Creator verò nihil frustra facit. Utique voluit, ut robur hoc rectè impenderetur atque corpus plenum instrumentis variæ formæ & usûs ad varios usus adhiberetur. Non solum Creator hominibus robur & docilia membra dedit, sed & sapientiam & prudentiam. Qua in parte distinxit homines ab animalibus robustis atque etiam robur humanum plurimum superantibus. Sed quoniam ratione carent, omne eorum robur inutile est. Sume bovem: An solus arabit aut onus aliquod huc illuc feret? Quo verò & robur animalium & hominum utile esset, his rationem dedit Numen tum ut cognoscerent quid faciendum, tum quoque quo modo.

XXVIII. *Quartum commodum:* Piger metuit

tuit damnum ex labore, sed stultè. Sedulitas laboris varium commodum adfert. Commodum adfert ipsi corpori, quod labore sanum ac vegetum est servaturque. Sapit cibus, etiam tenuior, quem piger fastidit. Somnus ei dulcis ac brevis est. Commodum quoque adfert animæ, quæ in turpi otio in varias noxias cogitationes ac cupiditates incidit. Commodum insuper adfert sustentationi propriæ & familiæ. Vendit enim DEUS bona sua laboribus. *Qui frigus metuit, non metit:* Metit, qui strenuè laborat. Qui laborat manibus suis, habet quoque, quod impertiatur pauperibus.



CAPUT XX.

De

Patientia.

Σύνοψις.

Officio huic opponitur impatientia. §. *I.*	*Gradus impatientiæ.* §. *VI. VII.*
Hæc præsupponit malum. §. *II.*	*Causa ejus propria non est ipsum malum.* §. *VIII.*
Quod variè considerari potest. §. *III-VI.*	*Sed animus malus.* §. *IX.*

Seipsum



§. I.

P*Atientiæ opponitur impatientia*, quâ quis ob bonum absens, malum præsens impatientis animi est.

II. *Impatientia præsupponit statum miserum.* Nemo impatiens, nisi qui est aut putat esse in statu infelici.

III. *Malum, quod impatientiam producit, vel ab anima*, uti suspicio, angor, *vel corpore* quemadmodum morbus, *vel opibus* veluti earum penuria *vel famâ læsâ oritur.*

IV. *Variat quoque ratione infligentis*, qui vel DEUS vel homo. Et hic vel Magistratus vel persona privata eaque amicus aut hostis est.

V. *Porrò malum impatientiæ causa vel meritum vel immeritum vel solitarium vel socium est.*

VI. *Im-*

VI. *Impatientia incipit in corde,* quod faſtidium concipit ob infelicitatem, dolorem, quem ſentit aut ſentire putat aut metuit. Unde in illo frequens cogitatio de hoc ſuo ſtatu. Hinc gemit, optat liberari. *Faſtidium teſtatum facit querelis, murmure.* Contendit porrò injuſtâ viâ ex infelici illo ſtatu effugere. Hinc vel vi perrumpit limites, qui ſibi poſiti ſunt.

VII. *Unde jam impatientiæ gradus cognoſcuntur.* Qui porrò illuſtrantur. Quò minus malum, eò majus impatientiæ vitium. Impatientia & murmur erga DEUM pejus illo erga homines, Magiſtratus.

VIII. *Quanquam impatientiæ cauſa quadam ratione dici queat malum, dolor, infelix ſtatus:* Si enim impatiens haberet, quod vellet, impatiens non eſſet. *Attamen propria cauſa & quæ hic ſpectatur non eſt.* Etenim fit, ut duo eodem malo impliciti ſint, unus patiens, alter impatiens eſt. Imò haud rarò contingit, ut levius malum in illo impatientiam producat, in alio ne quidem gravius.

IX. *Cauſa itaque quærenda eſt in ipſo homine & quidem animo ejus malo.* Uti ſcil. unus idemque ignis conſumit lignum, aurum verò illæſum conſervat, purgat. Ita unum idemque malum animum malum, infidum, obte-

obtenebratum, mundanum, impatientem reddit; Sed conservat, perficit animum bonum, fidum, illuminatum, spiritualem. Exemplum prostat in Israëlitis infidelibus & fidelibus, qui unà in eodem deserto vivebant. Illi impatientes erant, murmurabant. Quare? Erant mali, DEO non confidebant, pisces, allium &c. magis quærebant quàm DEUM.

x. *Speciatim causa est animus malus se ipsum perversè amans.* Unde malum proximo, etiam innocenti, illatum animum impatientem non facit. Facit vero sibi illatum.

xi. *Tum animus infidus*, qui omnia ex præsentibus judicat. Hinc quia præsens status tristis, miser, non credit felicem ei successurum, per angusta ad augusta semitas DEI ducere, *itaque impatiens est.* Et quanquam mentiri nescium verbum DEI auxilium, liberationem debito tempore & modo promittat, promissiones illæ nullam fidem repeiiunt.

xii. *Insuper animus obtenebratus*, qui ob tenebras, quæ ei opponuntur, nihil videt. Tenebræ sive præjudicia sunt: Felices esse, quibus omnia ex voto fluunt: Infelices, qui malis premuntur: Persecutiones, opprobria, penuriam ex natura sua talia esse, ex

quibus bonum provenire nequeat. Itaque talis animus *impatiens est*.

XIII. *Praterea animus mundanus, mollis, carnalis.* Hinc impatiens est, quando mundus ei non favet. Quando cutis ejus mollis afflictionibus tanquam spinis pungitur: quando carni pabulum liberalius subtrahitur.

XIV. *Fœtus, qui his progenitoribus natus, turpis omninò est.* Impatiens enim murmurat adversus summum eumque benignum DEUM. DEUS hominem per passiones perficere atque ad admirabilem laudem suam parare vult, sed stultus homo renuit, mavult abjectus lapis esse, quam dolatione ad egregium ædificium aptari: Accersit ita iram DEI. Israëlitæ impatientes ab exterminatore perdebantur, quorum exemplum ad typum ultimorum temporum notatum est, 1. Cor. X. 10. 11. Impatientia etiam per se malum dolorosum est. Unde quando duo eodem malo affecti sunt, impatiens dolorem magis sentit quàm patiens, maximè quando hic se in DEO erigit & finem spectat. Hæc de impatientia; sequentia de

XV. *Patientia, quâ quis malum patienti animo fert.*

XVI. Patiens agnoscit omne malum à manu

manu DEI sibi obvenire, quare constituit illud sive exiguum sive ingens suscipere ac ferre. Agnoscit nihil suum esse, quod auferri queat. Suum esse DEUM. Hunc non posse rapi. Imo hoc divinum bonum patientiâ magis & magis cognosci atque gustari. Quando malum actu infligitur, abjicit se sub potenti manu DEI. 1. Petr. V. 6. Et quum natura doloris impatiens impatientiam producere vult, certat adversus impatientiam. Successu temporis exercitatior factus de cruce non extimescit, fortiter adversus impatientiam militat vincitque eam. Hinc persecutionibus, tribulationibus non defatigatur, ut voluntatem DEI exequatur.

XVII. *Patientia Christiana à Naturali & Politica probè distinguenda est.* Datur enim patientia, quæ Christianam præ se fert & imperitum fallit. Nam utrobique malum patienter fertur, laudatur verbis Providentia divina dolorem, contumeliam adferens.

XVIII. *Discrimen tamen in animo, causa, fine & exitu cognoscitur.* Animus Christiani patientis verè agnoscit providam DEI manum, quâ sibi contumelia, dolor aut aliud malum obvenit: Hinc etiam verè humilis est. At homo naturalis ad DEUM oculos non attollit. Hinc ille patitur propter voluntatem su-

premi Numinis, cui nemo resistere debet: Sed his ob necessitatem neve impatientiâ dolorem augeat. Ille constituit DEO parere atque sperat carnis reliquias hac ratione magis & magis tolli, sed hic intendit lucrum, honorem, dignitatem. Ille liberatus à malo DEO quidem gratias solvit pro liberatione, sed vindictam non cogitat aut parat erga hostem, quo tanquam instrumento DEUS utebatur veluti Josephus: At hic finem expectat atque occasionem, qua par pari compenset.

XIX. *Patientia gradibus variat.* Minor est illa patientia, quæ levius malum, sed major, quæ gravius patienter sustinet. Qui solus vivit & mala, quæ obveniunt, fert, ad eum non assurgit, qui patiens est hostibus & quidem iis, qui ipsum variè angunt, circumdatus. Inferior patientiæ gradus est, quando animus se adversitatibus patienter subjicit, attamen natura ejus irrequieta est. Major, quando homo mala patienter fert & plenè acquiescit in fatis durioribus. Hunc superat is, qui tribulationes, contumelias cum gaudio excipit atque hilaris cursum dolorosum aggreditur perficitque. Hebr. X. 34. XII. 1. Rom. V. 3. II. Cor. VI. 10. *Tanquam tristes* in oculis hominum, qui ex-

terno

terno non aliud judicare possunt, *sed semper hilares animo*, certi quod fructus pacificus tandem proventurus. Et hoc superior est eorum, qui crucem expectant, expetunt atque ex animo dicunt: Salve Crux. Willkomm mein liebes Creutz. quæ tamen verba non aliorum sunt quam militum veteranorum. Summus in patentiæ gradus eorum est, qui omni solatio, quod illis erat, destituuntur, quique, licet Spiritum consolationis expetant, deseruntur atque cum internis tenebris, adversitatibus pugnandum habent, & tamen patientes auxilium præstolantur.

XX. *Exploraturus patientiam suam animum non abjicere debet, quando exploratione factâ sibi mentem quietam ac hilarem in adversis deesse observat; Si modò convictus de luctâ adversus impatientiam ac querelas, quæ in se oriuntur, est.* Attamen contendere debet successu temporis altiores patientiæ gradus ascendere, quò certiora hujus Christianæ virtutis documenta teneat. Exemplum notissimum Jobus est.

XXI. *Media patientiæ addiscendæ sunt frequens lectio scripturæ aliorumque librorum, qui vitam Christianorum Gymnasium patientiæ esse docent.* Paulus Rom. XV. 4. ὑπομονὴν γραφῶν·

patien-

patientiam scripturarum annotat sive indicat scripturam plenam esse historiis dolorosis, quæ piis obtigerunt, ex quibus tamen feliciter emerserunt, quæ adeoque legentes ad eundem patientiæ cursum excitare debent. *Dein familiaritas cum militibus Christianis crucem expertis.* Fortis miles etiam pavidum fortem reddit exemplo atque adhortatione suâ. *Praterea comparatio levis armatura.* Miles onustus pugnare nequit. David gravem Saulis armaturam deposuit elegitque levem. Sic Christianus *per patientiam cursurus propositum ipsi certamen deponat omne onus*, mundum & quæ in mundo animam terræ affigentia *atque circumstans peccatum* Hebr. XII. 1. *Insuper patientia studiosus observet adversitates nonnisi impatientibus graves esse.* Immitti à Deo in bonum nostrum. *Tandem præmeditatio adversitatum.* Tela prævisa minus nocent. Quare frequenter cogitandum, vivere nos in mundo, in quo omnia instabilia: Amici, sanitas, divitiæ, dignitas, vita: si igitur hæc amittimus præmeditantes patienter feremus Joh. XVI. 4. *Denique solum DEUM, JESUM Christum atque bona cælestia ut sua habere, non vero terrestria.* Illa rapi non possunt; Hæc possunt.

XXII.

XXII. *Ultimò perpendat argumenta ad patiendum impellentia.* Qualia sunt. I. *Interdictum impatientiæ. Nolite murmurare, quemadmodum quidam Israëlitarum murmurarunt.* 1. Cor. X. 10. II. *Præceptum patientiæ: Possidete animas vestras* ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν *in patientia vestra* sive mansione sub cruce Luc. XXI. 19. Impatientia enim cum irrequieta anima conjuncta est. At patientia cum quieta. Patiens enim acquiescit in tribulatione. *Omne gaudium habete, si variis tentationibus circumdamini* Jac. I. 2. Mira est & carni nostræ paradoxa prorsus hæc adhortatio gaudere in cruce & quidem varia, quæ nos circumcingit. III. *Commodum ex patientia.* Patientia minuit dolores: Producit explorationem, qua scoriis segregatis solidum bonum manet. *Patientia perfectum opus habeat, ut sitis perfecti & integri, in nulla re deficientes.* Jac. I. 4. Ferax est bonorum operum Luc. VIII. 15. Propinquum DEUM habet, patienti coronam, affligenti justam retributionem dantem: *Beatus vir, qui tentationem sustinet: nam probatus factus coronam vitæ accipiet.* Jacob. I. 12. *Longanimes estote, fratres, usque ad adventum Domini: Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ & longanimis est in se ipso, donec accipiat pluviam*

matutinam & vespertinam. Longanimes ergo estote etiam vos, stabilite corda vestra, quia adventus Domini prope est. Jac. V. 7. 8. IV. *Adversitates, quas alii sustinuerunt, cum nostris collatæ graviores reperientur.* Quare nostrum est leviores patienter ferre. *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Hebr. XII. 4. ut plurimi, maximè martyres in utraque Ecclesia V. & N. Testamenti. V. *Patientiæ gloria. In hoc gratia, si quis propter conscientiam DEI dolores perfert patiens injustè.* 1. Petr. II. 19. Solent quidem vulgo homines impatientiæ accusati respondere: velle se lubenter malum ferre, modò illud meriti essent. At hoc stultum. Tales enim patiuntur ut fures, homicidæ, quorum dolores & patientia ignominiosa. Sed honorata eorum, qui, dum benè egerunt, adversitatibus affliguntur easque patienter sustinent. VI. *Praeuntes habemus Christũ & Prophetas virosq; Apostolicos,* quorum exempla ad imitationem in sacris proponuntur. *Respiciamus ad fidei ducem & consummatorem, qui pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ignominiam contemnens.* Hebr. XII. 2. *Exemplum capite patientiæ, fratres mei, & longanimitatis Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatos prædicamus eos, qui perpessi sunt. Patientiam Jobi audivistis & finem Domini vidistis,*

distis, nam valdè misericors est Dominus & miserator. Jacob. V. 10.

CAPUT XXI.

De

Constantia.

Σύνοψις.

Omnes virtutes poscunt constantiam. §. *I.*
Cui opponitur inconstantia. §. *II.*
Quis inconstans. §. *III.*
Inconstantiæ gradus. §. *IV.*
Etiam minimus metuendus est. §. *V.*
Inconstantiæ tres causæ. §. *VI.*
A. Malum fundamentum. §. *VII.*
B. Defectus conjunctionis, saltem solidæ, cum bono fundamento. §. *VIII.*
C. Graves impetus. §. *IX.*
Tertia causa sola nil nocet. §. *X.*
Inconstantia stoliditas ac detrimentum. §. *XI.*
Succedit constantia. §. *XII.*
Non tamen omnis constantia, quæ putatur, laudabilis est. §. *XIII.*
Vera constantia fundamentum est DEUS, speciatim JESUS Christus. §. *XIV.*
Veritates. §. *XV.*
Et virtutes divinæ. §. *XVI. XVII.*
Constans exstiturus conjunctus esse debet cum DEO & JESU Christo. §. *XVIII.*
Credere item verbo divino. §. *XIX.*
Et vivere in virtutibus. §. *XX.*

Habet constantia suos gradus. §. XXI.
Naturâ tamen nemo constans est. §. XXII.
Sed fit potentiâ & gratiâ DEI. §. XXIII.
Media, quibus utendum. §. XXIV.
Ut & motiva indicantur. §. XXV. XXVI. XXVII.

**********:**:**********

§. I.

T*Ractationem de officiis claudimus constantiâ.* Officia sive in agendo sive in patiendo consistant, constantiam requirunt. Absque constantia virtutis Christianæ nomen amittunt nec veram retributionem producunt. Ezech. XVIII. 24.

II. *Inconstantia est vitium hominis, vi cujus is rectum propositum, actionem, passionem deserit.*

III. Inconstans adeoque est, qui propositum boni faciundi immutat. Matth. XXVI. 33. 35. Aut qui veritatem, quam agnovit ac professus est, rursum abnegat Gal. I. 6. & justitiam, cui studuit, deserit Ezech. XVIII. 24. Vel si malum, adversitatem, contumeliam ab initio patienter quidem tulit, sed progrediente tempore præ impatientiâ succumbit. Hebr. X. 32. - fin.

IV. *Inconstantia diversos suos gradus habet.* Minus vitiosa illa, quæ in rebus humanis, levioribus, vel quæ non finalis est quæque

pro-

producta ab obstaculis fortissimis. At magis illa, quæ circa objecta divina, magni momenti versatur aut quæ finalis est nec tam fortia impedimenta habet.

v. *Facile tamen fit, ut inconstans in rebus minoribus, humanis, etiam inconstans in gravioribus & divinis sit.* Fundamentum, quod utrobique, cor mobile est. Unde sequitur, quod evitaturus inconstantiam vitiosissimam, etiam evitare debeat inconstantiam minus culpabilem.

vI. *Uti in Natura sic in moribus inconstantia à tribus maximè causis ortum trahit.* Ædificium veluti quod corruit, ruinam patitur ob fundamentum malè positum aut quod cum fundamento non recte agglutinatum erat aut denique ob vehementiam impulsûs objectorum externorum.

vII. *Inconstantia prima causa ergo malum fundamentum.* Tale omne est, quod extra DEUM. Quum enim solus DEUS immobilis petra in Israële & fundamentum probè fundatum sit, sequitur quod inconstans esse debeat, quicunque alii fundamento innititur. Hinc inconstans, qui innititur propriis cogitationibus, prudentiæ, aut verbo, axiomatibus, sententiis mundanis, Politicis. Hæ enim sententiæ, axiomata paleæ instar

levia

levia sunt & carent solido fundamento, veritate divina. Sic inconstantes, quorum fundamentum mendacium, odium, voluptas, mundus, Patroni, Magistratus.

VIII. *Altera inconstantiæ causa defectus solidæ conjunctionis cum vero fundamento.* Uti enim ædificium non juvat, quanquam impositum immobili petræ, nisi etiam cum illa probè conjunctum ac combinatum fuerit; sic etiam hominem ad constantiam non juvat, quanquam rectum fundamentum profiteatur, imagineturque se cum illo conjunctum esse, cum quo tamen conjunctus non est. Tales sunt, qui veritates divinas, quæ columnæ & stabilimenta sunt, in ore, cerebro, auribus habent sed non in corde. Qui ajunt, imaginantur se DEO & JESU Christo inniti, quorum tamen fides non nisi imaginaria est. Matth. VII. 26.

IX. *Tertia inconstantiæ causa petenda est ab impulsa externo aut interno.* Sic veritas, sanctitas, patientia deseritur seducentibus falsis doctoribus, hominibus impiis, ingruentibus persecutionibus, illatis adversitatibus. Falsi quippe Doctores, detorquendo scripturam sophisticis ratiociniis, spiritualibus incantationibus quandoque Auditores ab agnita veritate abstrahunt. Gal. I. III. 1.

Homi-

Homines mali, peccatis toti dediti proximum ad sanctitatem propendentem, illecebris, adhortationibus, minis, retrahunt inclinantque ad impietatem. 2. Petr. III. 17. Qui primos aggressus persecutionum sustinuerunt, illi secundos, tertios, eosque duriores evitarunt inconstantiâ in patiendo.

x. *Inter has causas hoc discrimen est, quod tertia sola inconstantiam producere nequeat* Hinc est, quod si duo impelluntur ab iisdem causis, attamen unus constans perseveret cadente altero. Quare? Quia ille bono fundamento probè conjunctus erat, hic non item. *In inconstantia concurrunt duæ vel etiam omnes tres causæ.*

xi. *In inconstantia stultitia & damnum conspicua sunt; hinc nos ab illa deterrere debent.* Et quidem stultitia: nam inconstans deserit propositum, actionem, passionem, statum, quem prius sapientibus rationibus elegerat, egerat, subierat. Plus credit mendacio quam veritati. Innititur ut stultus arenæ, arundini tanquam fundamento. Matth. VII. 26. 27. Similis est infantibus, qui circumaguntur quolibet vento doctrinæ & passionis Eph. IV. 14. Patiendo multa sustulit atque aliquod jus ad coronam cœlestem consecutus est. Sed inconstans nul-

nullum usum ex doloribus perlatis habet, amittit jus ad retributionem cœlestem atque pavidi desertoris ignominiam ac pœnam subire tenetur.

XII. *Constantia est illa hominis Christiani virtus, qua is in bono usque ad finem, superatis quibusvis difficultatibus, constans permanet.*

XIII. *Non omnis constantia laudi ducitur.* Dantur enim, qui in tenebris, præjudiciis Religionis, malitia, fuga crucis constantes perseverant, qui hinc alios præjudicia ac errores fidei deserentes, malæ desertionis ac inconstantiæ accusant. Sed de hac Constantia hic non agimus. Quanquam, si accurate loquimur, hæc constantiæ nomen non mereatur. Etenim in inconstantiam & irrequiem æternam abit. Si tales, etiam per longum tempus, in regno tenebrarum constantes erant, attamen judiciis divinis, veluti morte, ingruentibus mutantur, pleni irrequie, atque tum sed nimis serò, errores, impietatem deponere cupiunt, abjurant. Loquimur de illa constantia, quæ in bono, quæque felicem inconstantiam sive transitum ex Regno tenebrarum, diaboli in Regnum lucis & Christi excipit.

XIV. *Hujus constantiæ fundamentum est solus* DEUS. Omne, quod non DEUS, mobile & incon-

inconstans est. Hinc nulla expectanda constantia. At DEUS est הצור *rupes illa* perfecta, immobilis Deut. XXXII. 4. סלע *petra* Ps. XVIII. 3. Speciatim JESUS Christus est *lapis in Tzione, lapis angularis,* qui duos parietes conjungit, qualis ingens esse solet, atque profunde ac tutò ponitur, ut parietes imponendi nullam ruinam vel etiam leviorem motum patiantur, *pretiosus, fundatus,* fundatus ita fundatus, ut fundationi ejus nil quicquam desit, hinc prorsus immobilis. Jes. XXVIII. 16.

XV. *Fundamentum est omne divinum.* Cujus naturæ DEUS, ejus naturæ divinum. Quemadmodum ergo DEUS constans, immobilis, sic quod divinum. *Divinum est verbum DEI,* veritates ex DEO profectæ, de quibus hinc in sacris legimus, quod cœlum quidem & terra transitura, non verò verbum DEI: Veritates Evangelicæ hinc *fundamentum* Hebr. VI. 1. *columna atque stabilimentum veritatis.* 1. Tim. III. 16. dicuntur, uti posterior locus à quibusdam non sine probabilitate exponitur.

XVI. *Divinum quid quoque est sanctitas, charitas omnisque virtus Christiana:* Nam Deus solus sanctus: Deus quoque ἀγάπη charitas est 1. Joh. IV. 8. *Ad stabiliendum corda vestra irre-*

irreprehensibilia in sanctimonia 1.Thess. III. 13. *In charitate radicati & fundati.* Eph. III. 18.

XVII. *Fundamenta hæc sibi semper constant atque immobilia sunt.* Creatura moveatur huc illuc, DEUS immutabilis est. Scriba, Christianus, qui verbum DEI extra se habet, aut tantùm in ore, memoria, sursum ac deorsum movetur, per errores, præjudicia, tanquam per fluctus, huc illuc agitatur, verbum tamen DEI immobile est.

XVIII. *Homo itaque constans exstiturus cum DEO & JESU Christo per fidem conjunctus esse debet.* Fides enim est illud tenax gluten, quod ex duobus unum facit, quo mediante pars mutabilis immutabili insita etiam ipsa non mutatur. *Qui credit* in lapidem bene fundatum, *is se non præcipitabit,* quod fit, si quis innititur labili fundamento Es. XXVIII. 16. Rom. IX. 33. 1. Petr. II, 7. *DEUS in medio* civitatis fidelium atque etiam uniuscujusque fidelis *non movebitur* Ps. XLVI. 6. Atque hoc ex conjunctione clarum. Si enim duo arctissimè unita sunt, sequitur vel utrumque vel nullum moveri. Non enim alterunum altero immoto moveri potest. Aut necessariò dicendum, quod conjunctio pristina rursum fuerit soluta. Jam verò quia altera pars Jehovæ est, qui non mutatur, qui sem-

semper idem, sequitur quod omnis fide cum illo unitus constans ac immobilis sit.

XIX. *Sic porrò constans, qui verbum divinum in corde suo habet, quique juxta illud credit & agit.* Hinc salvator auditorem Practicum accomparat viro prudenti ædificium suum Petræ inædificanti, quod hinc nulli venti aut inundationes evertere queunt. Matth. VII. 26. 27. *Si manetis fide fundati & firmi, nec moveamini à spe Evangelii, quod audivistis.* Coloss. I. 23. Est enim Evangelium æterna & constans veritas. Homo, qui illi fidem habet, qui se non patitur ab illa dimoveri, per consequens etiam constans est.

XX. *Hinc nunc fluit constantia in virtutibus Christianis tum activis, tum passivis*, studio sanctitatis ac patientiæ. Qui enim constans ob unionem cum DEO, JESU Christo & verbo divino, ille simul constans in officiis Christianis. Fieri enim nequit ut quis constanter unitus cum DEO & sancta ejus voluntate, inconstans in studio Christianismi sit. Non enim homo simul cum DEO unitus esse potest, & cum spiritu malo, per quem peccata patrantur. Nemo, qui constanter in luce versatur, versatur simul in tenebris.

XXI. *Sunt quoque Constantiæ gradus*, veluti obmotis obstaculis impingere quidem & nutare, sed tamen non labi aut prorsus à funda-

mento divelli. Tum concuti aut etiam abstrahi à veritatibus non fundamentalibus, firmiter tamen tenere fundamentales. Denique in fide & charitate petræ instar immobilem esse, procellis quoque irruentibus.

XXII. *Homo in se & ex propriis viribus in vero & bono immobilis esse nequit.* Nam homo in se consideratus arundini, arenæ, paleæ similis est. Cogitata ejus de rebus divinis æternam salutem concernentibus sunt inania, falsa, stolida, adeoque instabilia. Et qualia cogitata sunt, talia desideria ac conamina ejus. Vera fundamenta certa ac immutabilia homini naturali ignota sunt. Et quando ea illi monstrantur vel non perspicit, vel cum iis agglutinari nequit. Satanas, mundus, ratio, caro tanquam violenti venti, procellæ, graves inundationes impediunt, turbant, separant, divellunt.

XXIII. *At Deus, qui est æterna rupes, & non mutatur, hominem quoque constantem ac immutabilem reddere valet, vult redditque.* Deus omnis gratiæ καταρτίσαι ὑμᾶς, ϛηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι *instauret, stabiliat, roboret, fundet vos.* 1. Petr. V. 10. *Deus* βεβαιώσει *confirmabit vos irreprehensibiles usque ad finem in die Domini nostri JESU Christi* 1. Cor. I 8. εἰς τὸ ϛηρίξαι *ad stabiliendum corda vestra irreprehensibilia*

bilia coram DEO & patre nostro in præsentia Domini nostri JESU Christi cum omnibus sanctis suis. 1.Thess. III. 13. conf. Jud. ℣. 24. 2.Thess. III. 3.

XXIV. *Media sunt credere Evangelio*, verbo DEI in æternum mansuro, veritatibus, præceptis, prædictionibus, promissionibus, interminationibus. Rom. XVI. 25. Esa. XL. 8. Luc XVI. 17. Coloss. I. 23. Ex adverso μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονεῖν *non scrutari subtilia*, curiosa controversa λογομαχίας à contentiosis motas. Potius investigare, amare, æstimare primas clarissimas, certissimas veritates à DEO revelatas ad resipiscentiam, fidem, charitatem, mansuetudinem, castitatem ducentes. *Tum veritates*, quas quis novit, *ipsâ vitâ exprimere* Matth. VII. 24. 25. in fide, amore ac humilitate ambulare. Tales radicati ac immoti in summis quoque adversitatibus erunt. Coloss. I. 23. 2. Thess. II. 17. Coloss. II. 7. Matth. VII. 25.

XXV. *Ad his aliisque mediis rectè utendum commoveant nos sequentia argumenta.* I. Voluntas DEI. *Itaque fratres mei dilecti* ἑδραῖοι γίνεθε ἀμετακίνητοι, *stabiles sitis ac immobiles abundantes in opere Domini semper.* 1. Cor. XV. 58. *Et vos tanquam* λίθοι *lapides vivi ædificamini.* 1. Petr. II. 5.

XXVI. II. *Infelicitas ac damnum inconstantiæ.* Vel homo nunquam in vero ac bono

stetit

stetit vel eo excidit. Si prius, prorsus de DEO ejusque gratia, in qua felicitas nostra sita est, nihil sibi promittere potest. Paleæ instar in gravi judicio DEI minimè consistet. Ps. I. 4. 5. Si posterius, nullum amplius usum exinde habet, quod prius veritatem agnoverit, professus fuerit, pieque vixerit. Gravius experietur Numinis judicium. Hebr. X 26. 27. 1. Tim. I. 19. 20. Ezech. XVIII. 24.

XXVII. III. *Ingens felicitas Constantiæ in omni necessitudine ac calamitate.* ὁ ὑπομείνας *qui permanet* manet sub onere *ad finem, ille salvabitur:* Matth. XXIV. 13. *Qui fidus usque ad mortem, ille accipiet coronam vitæ.* Apoc. II. 10. Qui DEO & JESU Christo viva fide adhæret, non est quod timeat. Uti Deus Petra immobilis est, sic immobilis, qui cum DEO conjunctus. Pluviæ, venti & inundationes sive judicia DEI, dæmonum, hominum irruent quidem in tales, sed frustra. Inædificati enim æternæ petræ. DEUS fidus est & juramento fidem suam obsignavit præstabitque erga omnes promissionibus innitentes. Matth. VII. 25. Hebr. VI. 11-f.

Ei, qui nos à lapsu immunes conservare & ante gloriam suam irreprehensibiles cum gaudio statuere valet, soli sapienti DEO, servatori nostro sit gloria & magnificentia, robur & potestas & nunc & in omnia Secula:

Amen.